



Wd. 80.





7 Continentur hoc Vol.  
Fac. Masovii Exercitationes  
academicae omnes.

- 1.2.7 *Disf. I. et II. in L. Horatii Flacci Satiras.*  
Lips. 1714. 1716.
- 3.7 *Disf. de originibus officiorum aulicorum*  
S. R. J. 1718. rec. 17AA.
- 4.7 *Disf. de Expectatiuis in feuda impe-*  
*rii.* 1719.
- 5.7 *Oratio de ortu et progressu iuris publici Ger-*  
*manici.* 1719. *Acc. Progr. de LL. quibus*  
*aut constitutum fuit collegium Aucurum,*  
*aut sancita, solutave auspiciozum reli-*  
*gio.* 1736.
- 6.7 *Disf. de nexu regni Burgundici cum*  
*Imp. Rom.-Germ.* 1720. r. 1752.
- 7.7 — *de iure auspicii apud Romanos.*  
1721. r. 17AA.
- 8.7 — *de bello solenni imperii.* 1721. r. 1754.
- 9.7 — *de iure imperii in magnum ducatum*  
*Etruriae.* 1721. r. 17AA.

10.7



- 10.) *Diss.* de iure circa rem monetariam in ter-  
ris circuli Sax. super. p. 1723. c. *Fig.*
- 11.) — de regali imperialiq. Augustorum Germ.  
Augustarumq. coronatione. 1723. c. *Fig.*
- 12.) — de iure foederum in S. R. F. 1726.
- 13.) — de nexu regni Lotharingiae cum Imp.  
Rom. - Germ. 1728. r. 1748.
- 14.) — de Primatibus, Metropolitanis et reli-  
quis Episcopis Eccl. Germ. 1729. r. 1741.
- 15.) — de his qui sibi adscribunt in testamento  
ad explic. S. C. Libon. p. 1731. r. 1759.
- 16.) — Origines iuris publici S. R. F. illustratae  
ex rebus Imp. p. Saxon. 1732. r. 1753.
- 17.) — de legitima electione et coronatione  
Poloniar. Regis Augusti III. 173A.
- 18.) — de foederibus commerciorum. 1735. r. 1751.
- 19.20.) — I. et II. de iure Stapulae et Nundina-  
rum ciuitatis Lipsiae. 1738. 1739. c. *Prog.*  
Jo. H. Rivini. 1739.
- 21.) — de Partibus Curiae. 1740. r. 1751.

J. A. 5 1/2 B.



16.

ORIGINES  
IVRIS PVBLICI  
IMPERII ROMANO-  
GERMANICI

ILLVSTRATAE EX REBVS  
IMPERATORVM SAXONICORVM

QVAS CONSENSV  
MAGNIFICI IVRECONSVLTORVM ORDINIS

P R A E S I D E

D. IO. IACOBO MASCOVIO

CONSIL. REG. AVLICO, SVPR. CVRIAE PROVINCIALIS  
ET CONSISTORII ASSESSORE, ET CIVITATIS  
LIPSIENSIS SENATORE ETC.

AN. MDCCXXXII. D. XX. NOVEMBR.

H. L. Q. C.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBIIICIT

A V C T O R

IO. DANIEL OLENSCHLAGER  
FRANCOFVRTANVS AD MOENVM.

---

EDITIO SECVNDA. 10.

---

LIPSI AE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

I 7 5 3.



10

ORIGINES  
IVRIS PVBLCI  
IMPERII ROMANO-  
GERMANICI

ILLVSTRATAE EX REBVS  
IMPERATORVM SAXONICORVM  
QVAS CONSENSV  
MAGNIFICI IVREGONVLTORVM ORDINIS

P R A E S I D E  
D. IO. IACOBO MASCOVIO

CONSIL. REG. AVSTRIACAE SVPER CVRIAE PROVINCIALIS  
ET CONSISTORII ASSASSORE ET CIVITATIS  
LEIPSIENSIS SENATORE ETC.  
AN. MDCCXXII. D. XX. NOVEMBER.

PVBLCAE ERVDITORVM DISQVSSIONI  
AVTHOR

IO. DANIEL OLENSCHLAGER  
FRANCOFVRTIANVS AD MOENIVM

LEIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEIMIANA  
1753





# CONSP ECT V S.

- §. I. *Instituti ratio.*
- §. II. *Contrariae de statu Germaniae post Carolingos opiniones.*
- §. III. *Eadem sub Saxonis regni formula.*
- §. IV. *Fines regni adserti, et aucti. Germaniae limes prolatus in Slavos. Marchiae Misuensis, Brandenburgicae, Lusitiae, origines.*
- §. V. *Lotharingia regno Germaniae vindicata. Blondellus refellitur. De Pacto Bomenfi.* §. VI. *Nexus Lotharingiae explicatur.*
- §. VII. *Primorum Ducum Lotharingiae formula. Bruno an Archidux, aut certe Dux Lotharingiae?*
- §. VIII. *Primi Duces Lotharingiae militares. Series Ducum utriusque Lotharingiae. Verum Carolus Dux utramque Lotharingiam tenuerit? Finae a successione in Ducatu exclusae.* §. IX. *De Marchia utriusque Lotharingiae.*
- §. X. *Burgundiae regnum an iam tum obnoxium aliqua ex parte Germanicis Imperatoribus?*
- §. XI. *Italia quibus modis adserta. Berengarius, primum beneficio Ottonis regnat. Denique Otto Regnum Italiae ipse suscipit. Romanum Imperii renovatio.* §. XII. *Vtrum Otto Romanum et Exarchatum donauerit Pontifici? Leonis VIII. et Ottonis III. chartae ac donationibus Imperialibus suspectae.*
- §. XIII. *Formula noui Imperii. De Constitutione Synodica Leonis VIII. Imperatorum Ius ordinandi sedem Romanam.* §. XIV. *Italiae sub Saxonis status. Fodrum, Parata, Mansionaticum.* §. XV. *Nexus cum Germaniae regno. Vexilla propriae formulae. De titulo Regis Romanorum. De vicariis Italiae, et Archi Cancellario.*
- §. XVI. *Prerogatiuae familiae regnatricis.* §. XVII. *Iura Augustarum.*
- §. XVIII. *Electiois forma: Principum nonnullorum praecipua suffragia. Pactum aditici solitum.*
- §. XIX. *De Imperiali, Regalique Coronatione.*
- §. XX. *De Insignibus Regni, ubi de Lancea sacra. Angelus in vexillo Regali. Aquila quando recepta? Sigilla Regum.*
- §. XXI. *In Palatio durarunt instituta Aulae Carolingicae. De Curia solemni.*
- §. XXII. *De munere Archi Capellani. Vnde Archi Cancellarius dictus?*
- §. XXIII. *Plures Archi Cancellarii eodem tempore sub Henrico I. et Otzone M.* §. XXIV. *De Cancellariis. Vice Cancellarii quando vocati? Archiepiscopi etiam et Episcopi illud munus obierunt.*
- §. XXV. *De reliquis Archi Officialibus Palatinis.*
- §. XXVI.



- §. XXVI. *Provinciarum status. Officia Regni. De Ducibus Regni Germaniae quaedam.*
- §. XXVII. *De Comitibus Palatinis per Lotharingiam, Bavariam, Saxoniam.*
- §. XXVIII. *Comites, Vice Comites, Castellani, Missi Domini etc.*
- §. XXIX. *De Urbibus: Vrbes Regni vel liberae vel praefectoriae etc. De discrimine inter vrbes Imperiales, et Imperiales liberas. Urbium incrementa sub Henrico I.*
- §. XXX. *De statu hominum. Vbi de nobilitate. De variis ingenuorum ordinibus.*
- §. XXXI. *De iurisdictione: vbi de diversis populorum legibus. §. XXXII. Italiae leges: Vfus Iuris Romani, et in specie Iustiniani.*
- §. XXXIII. *De Iudiciorum ordine: vbi de modo probationis per Duellum.*
- §. XXXIV. *De Re Militari: Milites, securarii etc.*
- §. XXXV. *De Re Feudali. Feuda ex militia. Vti hereditaria facta? Ritus inuestiturae. §. XXXVI. De Feudis indomiticis: An Feuda Lotharingiae talia? §. XXXVII. Diversi Vasallorum ordines. An ab Othone I. instituti? Valuassores, et Valuassini, Vassi maiores, et minores. Obiter de Feudis Burgundiae.*
- §. XXXVIII. *Status Ecclesiae Germanicae sub Saxonis Principibus. An*
- tum primum Regalia acceperint Ecclesiastici? §. XXXIX. Officiales Episcoporum: Aduocari Vice Domini.*
- §. XL. *Ius Regium circa Episcopatus, et Metropoles. Illustratur exemplo Iustiniani ex Nou. 11. et 131. §. XLI. Item in beneficia Ecclesiastica: quo titulo illud exercitum? De constitutione Episcoporum. §. XLII. De inuestitura per baculum et anulum. De baculo Pastoralis. Quando Pontifices illa vti desierint? illustratur cap. vn. X. de sacr. vncl.*
- §. XLIII. *De consecratione Episcoporum et Metropolitanorum. §. XLIV. Metropolitanis pallium accipiebant a Pontifice. Id nondum de necessitate. Expenditur cap. 3. X. de Auctor. et vsu Pallii.*
- §. XLV. *De Hierarchia. Autoritas Metropolitanorum: Exemptiones. §. XLVI. De Conciliis Ecclesiae Germanicae: Imperatorum Regumque circa Concilium Ius. De Legato Romani Pontificis. Ratio sedendi in Conciliis. Laici interdum admissi. §. XLVII. In illis discussae causae Ecclesiae nationalis. Cur interdum causae e Germania in Synodis in Italia discussae? De Iure et disciplina Ecclesiae: Deque Collectionibus Regionis, et Burchardi.*
- §. XLVIII. *Romanae sedis Autoritas. §. XLIX. Libertatum Ecclesiae Germanicae Cura.*





§. I. In quaestionibus de iure Publico Imperii Romano-Germanici saepe ad ipsas rei Germanicae origines descendere oportet, non modo ad illustrationem, sed ad ipsa fundamenta iuris constituenda. Ad rem per se necessariam accessit scriptorum nonnullorum adfectatio, qui ubi hypotheses aliquas temere excogitatas defendendas suscipiunt, aut cupiditatibus Dominorum seruiunt, Carolingica et Saxonica tempora sollicitant, adeoque ad difficiliorem disquisitionem reuocant illos, qui ipsis respondere, aut iudicare de illorum adfertis debent. Itaque iam animus est, Periodum ab accessu Ludouici Infantis, Carolingorum in Germania vltimi, vsque ad obitum Henrici II. excutere. Tum enim Germania, relicto Carolo simplice, qui solus ex mascula stirpe Carolingorum supererat, proprias rationes constituit, quod tentatum a Conrado I. Henricus deinde atque Ottones perfecerunt. Ex hac primaeva Reipublicae imagine, ratio reddi potest praecipuorum Iuris Publici capitum, et ipsae, quae postea consequutae sunt, mutationes, rectius intelligi. Quod si dum Reipublicae et Ecclesiae ordines perlustro, subinde et priuati iuris capita attigero, facilius ab illis veniam impetrabo, qui meminerint, nosse oportere Rempublicam, antequam ei consulas.

*Instituti ratio.*

A

§. II.

10



## ORIGINES IVRIS PVBLICI

### §. II.

*Contrariae de  
statu Germa-  
niae post Caro-  
lingos opini-  
ones.*

Mira autem est, Iure Consultorum dissensio, qualis post Carolingos Reipublicae nostrae fuerit facies? Quamvis enim conveniat inter illos, hodierni status formulam omnino ex illis temporibus repetendam esse, magnam tamen secessionem faciunt, qui penitus novam tum extinctae regni conditionem scribunt, extincta cum Ludouico, regnatrice domo, quae *absoluto Imperio* populos rexit: Tum scilicet libertatatem recuperasse Germanos; et Principes postliminio sui iuris factos: Monarchicam pristini Regni formulam mutatam in Aristocraticam: Procere liberrima electione Regibus Imperium detulisse; sed valde adstrictum: Placuisse singulis prouinciis hereditarium principatum, sed clientelae nexu obligatum regno: Inde tot in Germania Respublicas, et principatus exortos, quot fuerint populi et prouinciae; Illos principatus Germaniae singulares vetustiores esse ipso regno: Principesque ab illo aeuo Regalia habere, iure accessorio territoriorum, et iam tunc Regalis Palatii praecipuas dignitates, atque cum illis in Regno autoritatem perpetuo iure tenuisse, et quae alia sunt hisce similia.

### §. III.

*Eadem subSa-  
xonis regni  
formula.*

Sed hanc quidem hypothese[m] totius historiae series euerit. Neque enim extincta in Germania stirpe Carolingorum regnatrice, dissoluta fuit ipsa regni compages, 1) solumque vinculum, quo populi communi ciuitati erant obstricti. Obseruatum est a Viris doctis, ne ipsos quidem Carolingos absolutum aliquod ius hereditarium habuisse. 2) Hos si sequaris, eodem iure, quo Arnulfus, et filius ipsius Ludouicus electi fuerant, Conradus I., et Henricus Auiceps Reges elegerunt. Sed etiam si demus, Carolingos hereditario iure regnasse, non propterea Regia potestas imminuta fuit, quod per electionem deferretur. Siquidem iuris Gentium axioma est, 3) formam regni non pendere ex modo, quo ad illud peruenitur. Non aliter certe ipsi Germania Principes iam olim hac de re iudicarunt: Quam in rem insigne est o r-



TONIS, Frisingensis Episcopi, 4) testimonium; Sicut Merovingis deficientibus, ac Carolis succedentibus, idem tamen mansit regnum Francorum; sic et Carolis decedentibus, ex alia familia, IN VNO tamen REGNO, Otones sub introiere. Neque tuto adferas, Monarchicam Francici Imperii formulam tunc in Aristocraticam conuersam fuisse. V Siquidem nec Carolingorum, Regnum absolute Monarchicum fuit: 5) Quia potius regni dignitas, paululum collapsa vltimis illorum temporibus, sub Saxonis Principibus restituta fuit, ac vsque ad Henrici IV. tempora ita effloruit, vt Germania nunquam ampliorem viderit.

1) vid. praecipue HENR. de COCCEII *Autonomia* cap. XXIII. §. 3.

NIC. HIERON. GYNDLING. in *Henrico Accuse* §. X.

2) Conf. P. DANIEL in Praef. ad *Histor. Franciae.*

3) HVG. GROTIUS Lib. I. de *Iure Belli et Pacis*. Cap. III. §. X. n. 5. *Sunt*

*multi, qui existimant, discrimen summi Imperii et summo minoris petendum ex delatione Imperii per electionem aut successionem. Nam quae*

*hoc modo deferuntur Imperia, ea summa esse contendunt, non item, quae illo. At haec vniuersim vera non esse, pro certo haberi debet.*

*Nam successio non est titulus Imperii, qui Imperio formam adsignet, sed veteris continuatio. Ita enim in electione familiae coeptum succedendo*

*continuetur: quare quantum prima electio tribuit, tantum desert successio. add. IDEM l. c. §. XI. n. 2.*

4) OTTO FRISINGENSIS Lib. VI. *Chronici* cap. XVI.

5) De hisce Regibus praecipue DITMARVS in *Prolegom.* ad Lib. I. *Anna*

*P.* 323. apud G. G. LEIBNIT. *Tom. I. Script. Brunsv.*

*Quorum temporibus regnum velut ardua Cedrus*

*Enituit nostrum, longe lateque rimendum.*

§. IV.

Prouinciae quoque regni et fines, quales sub vltimis

Carolingorum fuerant, Germaniae adferri, et insigniter

Henricorum, atque Otonum fortitudine et prudentia

aucti fuere. Praecipuum robur, et prima Reipublicae cura

penes Francos et Saxones. Illorum armis suffulti

Reges reuocarunt ad commune obsequium Bauarorum, et

Alemannorum Principes, quoties forte altiora illi animo

agitarent. Tum vero, quantum ad fines regni

attinet, late limes prolatus inprimis per Slauos, iam a

*Fines Regni adfert et aucti. Germaniae limes prolatu in Slauos:*



Carolingis felicibus praeliis tantatos; Heuellis, Daleminziis, Milzenis, Redariis, et Luiticiis denique, quos omnium maxime infensos habuere Saxones, 1) ab Henrico I. deuictis, ac magis magisque Ottonum continuis bellis edomitis. Hisce coercendis Marchiones impositi. Vnde Misniae, Brandenburgi, et Lusatae Marchionatus exorti. Vti autem Misniae Marchionum fama 2) ceteris antiquior creditur, quum eos iam ab Henrico I. institutos fuisse veri plane simile sit: 3) Ita sub Ottone M. GERO *Orientalium Marchio Lusizi et Sepuli* 4) celebratur; Eumque tuitus est limitem, qui postea et Lusatae, et Marcae Brandenburgicae titulis inclaruit. Sub istis Marchionibus constituti alii nonnunquam Comites, 5) vrbibus limitaneis tuendis, in quibus milites ex prouincia praesidium per vices agebant. 6) Ex ceteris Slauicis populis Bohemi tributarii Regibus parebant, et tandem in ciuitatem Germanicam recepti, insignem inter Principes Imperii locum consequuti sunt. Neque dubium amplius, Polonorum eo seculo Principes in clientela Imperii fuisse. De Micislaio, qui primus Christiana Sacra populo intulit, et certiora Historiae Polonicae tempora signat, DITMARVS scribit: 7) *Semetipsum Regi (Otoni III.) dedit, et cum muneribus aliis camelum et praesentauit, et duas expeditiones cum eo fecit.* Cuius summae potestatis Otto III. documentum dedit, quum ipse Archiepiscopatum et Episcopatus in Polonia institueret. Quin et Boleslaus, Miscoconis filius, quum aliquoties iugum excutere tentasset, tamen Henricum II., vt Dominum, veneratus est: *manibusque adplicatis* (vt DITMARVS auctor est) 8) *miles Regis efficitur, et Regem magnis muneribus a se, et a coneciali sua oblati placuit, deindeque Regia largitate his meliora, cum BENEFICIO diu desiderato, suscepit.*

1) DITMARVS: L. VI. Annal. p. 382.

2) Conf. SIM. FRID. Zahn in der Deutschen Reichs. Historie L. II. c. 2. p. 34. ECCARDVS in *Hist. Genal. Princ. Saxon. super.* p. 110. autumat Marchiam Orientalem antiquiorem, ac Erwinum, et Sigfridum Marchiones Orientales fuisse, antequam Mithensis conderetur. Sed eos quidem, nullibi reperi Marchiones vocatos.

3) E. I. uidem



- 3) Equidem ECCARDVS l. c. p. 209. statuit, Saxoniae tres Marcas fuisse, Orientalem nimirum, Septentrionalem, et Misnensem, finesque adeo cuiusuis limitis designat. Sed coniecturis nimis tribuit Vir doctissimus, quibus, si instituti ratio ferret. plura reponi possent.
- 4) DITM. L. II. Annal. p. 333. Quod GERO eundem limitem, qui Brandenburgici nomine inclaruit, tuendum habuerit, patet ex memorando diplomate Ottonis I., quod exhibuit laudatus ECCARDVS l. c. p. 129. num. 11. In eo verba notatu dignissima, quibus proficitur Imperator, se *consultu- praecipue Geronis dilecti Ducis ac Marchionis, in praedio suo, in Marchia illius sito, in terra Sclauorum, in pago Heueldan, in ciuitate Brendunburg- Episcopalem constituere sedem.*
- 5) ADELBOLDVS in *vita Henrici S.* §. 30. p. 437.
- 6) DITM. Lib. VII. p. 406.
- 7) DITM. Lib. IV. Annal. p. 349. add. ANNALES HILDESH. ad A. 986. p. 720. qui Misecnem se subdidisse potestati Ottonis III. expresse referunt.
- 8) DITM. Lib. VI. Annal. p. 397. et 357.

§. V.

In hoc de finibus argumento, nobilis inprimis est quaestio de Lotharingia, qua ratione in ius Germaniae iterum redacta sit, qualiterque sese sub Germanorum Imperio habuerit. Lotharingos quidem post obitum Ludouici Infantis non sui effectos esse iuris, neque se subtrahere Germanicae Reipublicae, et Carolo Neustriae Regi subdere potuisse, contra DAV. BLONDELLVM iam adseruit NIC. HIER. GVNDLINGVS. 1) Conradum, quo minus prouinciam hanc Germaniae restitueret, frequentes domi turbae prohibuerunt. Henricum Saxonem igitur haec gloria manebat. Quum enim Caroli regnum, ob fluctuantes potentiorum animos minus validum, intestinis discordiis laceraretur, Henricus Lotharingiam Germaniae adferendi occasionem nanciscitur. Primo quidem Pace Bonnensi, A. DCCCCXXI, mutua vtriusque Regis amicitia firmata. 2) Tum et sui cuique in Lotharingia clientes adserti videntur. Vnde et sequenti anno amborum Regum auctoritate concilium ad Confluens in Lotharingia habitum. Sed quum Carolus denuo a suis desereretur, tandem Lotharingiam permisit

*In primis Lotharingia. Blondelli sententia refellitur.*



Henrico, qui circa annum DCCCCXXV. illam penitus in potestatem redegit. Certe ab illo anno Lotharingi annos Regni Henrici in chartis numerarunt, 3) atque in fide Germaniae perstiterunt

1) GVNDLING. in *Henrico Aucupe* §. XIV., not. x. p. 93. seq. *Gundlingianorum* parte XL. n. 4. pag. 476. seq.

2) Extant Pacis Bonnenfis tabulae, A. 921. scriptae, quas IAC. SIR-MONDVS Tom. II. *Concil. Galliae* p. 299. aliique exhibent, in quibus tamen praeter mutuam amicitiae stipulationem nihil singulare continetur, ac ne verbo quidem Lotharingiae mentio fit. Clare tamen ac definite SIGEBERTVS GEMBLAC. ad a. 923. refert: *Henricus et Carolus apud Bannam confoederantur. Carolus reddit Henrico Regi Regnum Lotharingie, Episcopis et Comitibus verique reus confirmantibus. Et CONTIN. REGINONIS ad A. 924. Carolus et Henricus Reges apud Bonnani Castellum conveniunt, et pacem inter se facientes foedus ineunt. Et Carolus se nunquam amplius Lothariensis regnum usurpaturum promittens regreditur.* Haec Veterum Scriptorum testimonia, collata cum ipsis Pacti tabulis, saepe Viris doctis serupulum iniecere. Sunt qui existimant, iam tum quidem, Anno 921., cessam fuisse hoc pacto Lotharingiam, sed eius tabulas integras ad nos non pervenisse. Illos autem refellunt Caroli diplomata ab eo tempore in Lotharingia data, in quibus annos a largiori *bereditate adepta* computat: quale apud P. AVGVSTINVM CALMETVM in *Historia Eccles. et Civili Lotharingiae* reperitur P. I. *inter probationes* p. 335. Forte ergo alterum foedus Bonnae sancitum inter duos Reges, quod Sigebertus, et Reginonis Continuator innuunt, sed cuius tabulae interciderunt.

3) Ap. CALMETVM l. c. *inter Probationes* p. 337. et 340.

### §. VI.

*Nexus Lotharingiae explicatur.*

Equidem Lotharingia retinuit aliquandiu vestigia quaedam separati regni. Nam Henricus I. annos Regni eius seorsim numeravit, et Ottones aliquoties Reges Lothariensium vocantur. 1) Singulares etiam Lotharingorum in eligendis Regibus partes fuisse, in Ottonis II. electione obseruamus, qui quum Vormatiae iam consensu Procerum Rex designatus esset, speciatim quoque Aquisgranum Lothariensium suffragia obtinuit. Circa Ottonis III. initia, et in electione Henrici II., simile quidprehenditur. Huc et referas origines Archi Cancellarius Treurenensis, et quae de Comite Palatii per Lotharingiam



giam à Viris doctis obseruata sunt. Sed defensim in vnam Ciuitatem coaluit vtrumque Regnum, eamque vnionem prudenti instituto consecrauere posteris, vt electio Regis Francofurti in solo Germanico, coronatio Aquisgrani in Lotharingico perageretur. Ea vero vnio optime adparebit ex ipsa ratione, qua Lotharingiam administrandam censuere Reges, et in qua magnum momentum penes Duces fuit.

1) Otto I. in Dipl. ap. CHIFLETIVM in *Comment. Lotbar.* p. 6. AVB. MIRAEVM. inter *Dipl. Belgica Lib. I. cap. 17.* et in *Donat. Pii* cap. 32. vocat sese *Regem Lothariensium*, et *Francigenum*. Idem in alio *Diplomate* ap. CALMETVM, T. I. inter probat. p. 367. vitur titulo *Regis Lothariensium*, *Francorum* et *Germanensium*.

2) Vid. Inf. §. XXII. Add. et quae de Comite Palatii per Lotharingiam leguntur in Exc. HEINECCIJ *Diff. de Eminentiorebus Ducatus, Ducumque Lotharingiae Praerogatiuis* §. III. IV. V.

§. VII.

Et primorum quidem Lotharingiae Ducum 1) vicariam tantum fuisse potestatem, ac ab arbitrio Regum pendentem, pro certo habemus. 2) Quibus quum nec hic satis fidere se posse cerneret Otto, prouinciam commisit regendam Brunoni, Archiepiscopo Colonienfi, 3) Sagacissimo Praefuli, quem virtus sua parem huic oneri fecerat; Sacerdotium autem a suspicione adfectandi regni excludebat. Is intelligens, tantum terrarum spatium, et procliuus ad res nouas molientes animos commode coerceri ab vno non posse, Lotharingiae duos constituit Duces. In superiori, siue Moscellanica Prouincia, Fridericus, 4) Comes Barri, in inferiori, Gothofredus, praefectus videtur. Vterque Brunonis auspiciis, vti Vicarii Regis, sequutus est. Recentiores nonnulli scripserunt, Brunonem Archiducis titulo rexisse Lotharingiam. Illos forte in hanc opinionem induxit locus R V O T G E R I: 5) *Imperator fratrem suum Brunonem Occidenti (hoc est, Occidentali parti Imperii) tutorem et prouisorem, et V T I T A D I C A M; A R C H I D U C E M in tam periculoso, tempore misit.*

Primorum Ducum Lotharingiae formula. Bruno Colonienfis male Archi-Dux vocatur.

Sed



Sed RVOTGERVS ibi pro suo affectu, honoris causa, ita adpellat Brunonem. Neque in vlla charta aut monumento authentico is titulus Brunoni tribuitur. A plurimis scriptoribus Dux quidem salutatur. 6) Sed in Diplomatibus neque hic titulus occurrit: adeoque dubitari potest, vtrum reuera Ducatum, proprie sic dictum, gesserit, qui sane hoc aeuo nondum videtur cum sacerdotio conuenire.

1) Iuuat hic paululum excurrere, et ipsam Ducum Lotharingiae seriem texere: I. Primum celebrant Rainerium. II. Illi successit Gisilbertus, qui Rheni aquis haustus interiit A. D. CCCC XXXIX. relicto ex Gerberga filio impubere Henrico. Tum III. frater Ottonis, Henricus, Lotharingensibus praefectus: Idque diserte testatur CHRONOGRAPHVS SAXO apud LEIBNITIVM, T. I. *Accession Historiar.* p. 158. Henrico fratri Regis Lothariensis Ducatus committitur, qui tamen eodem anno a Lothariensibus expellitur, eique Otto Comes surrogatur. IV. Postea Ottoni Ducatus commissus, ex Comitibus Viridunensibus oriundo: Is tamen tutorio tantum nomine eum rexit, vice Henrici pueri, Gisilberti filii. Hic est Otto Dux, qui subscripsit chartae Adalberonis Episcopi Merensis A. 942. ap. CALMETVM int. Probat. p. 942. V. Post mortem Ottonis, Imperator Ducatum dedit Conrado, genero suo, qui SAPIENS cognominatus est. Illum Werinharii filium vocat VITICHINDVS. Alii etiam Franciae Orientalis Ducem adpellant. Is vero Ducatu, ob rebellionem priuatus fuit A. D. CCCC LV. atque tum Otto vniuersam prouinciam fratri Brunoni regendam commisit.

2) Est doctissima observatio DAV. BLONDELLI in *Geneal. Franciae pleniori adseruone* p. 370. cuius veritatem alii auctores grauissimi adgnouerunt, et nouissime adhuc P. CALMETVS in *Hist. Eccl. et Ciuili Lotharingiae.* P. I. Lib. XVII. 3. cuius verba, quum multum ad illustrandum hocce argumentum conferant, omnino locum hic mereri iudicamus. Ita vero ille ad A. 916. *Nous comprenons Reuier, (le Pere de Gisilbert) pour le premier des Ducs beneficiaires de Lorraine; & nous appellons Ducs beneficiaires de Lorraine, ceux, qui ont recu cette dignite par la pure grace des Empereurs, qui pouvoient les en depouiller, quand ils le jugeoient a propos; a la distinction des Ducs hereditaires, qui dans la suite ont possede le Duché par droit de succession et d'heritage.*

3) Perperam CALMETVS l. c. lib. XVIII. Lotharingiam Superiorem Friderico a Brunone cessam, Inferiorem vero ab ipso Brunone retentam autumat, siquidem veterum scriptorum monumenta Brunoni totius Lotharingiae regimen tribuunt. Ita SIGEBERTVS LEVITA in vita Theodorici Episcopi apud G. G. LEIBNIT: *Tom. I. Script. Rev. Brunsv.* p. 295. *Brunonem, narrat, Colonienfis Archiepiscopus illustrabat dignitatis, etiam DOMINATVS TOTIVS LOTHARINGIAE insignie-*



*insigneque sublimitas. Idem Auctor cap. VIII. p. 298. refert, Brunonem, antequam moreretur, totam composuisse Lotharingiam. Sic et RVOTGERVS in Vita Brunonis, cap. XXXV. p. 286. scribit Brunonem Lothariorum populum ex INTEGRO suscepisse gubernandum.*

- 4) PRODOARDVS ad a. 958. *Lothariensis a Brunone Duce defiscunt, quibus postmodum reuocatis, Fredericum quemdam eis, VICE SVA PRAEFECIT.*
- 5) RVOTGER. in *Vita Brunonis* cap. XVII. p. 279. Ceterum Brunonem, vti vicarium regni, praefuisse omni Lotharingiae, adgnouit iam IO. BAPTISTA de VADDÈRE in Tractatu: *De l'Origine des Ducs et Duché de Brabant, Cap. X. p. 89.*
- 6) Sic VITICHINDVS lib. I. *Annal. CONTINVAT. REGINONIS* ad A. 953. et 965. aliique plures.

§. VIII.

Ab hoc instituto Brunonis videtur repetenda occasio duplicis per Lotharingiam Ducatus. Alter in superiori siue Mosellana viguit, alter in inferiori per regiones inter Rhenum et Mosam, atque inde iuxta Scaldim ad mare vsque sitas. Fridericum autem et Gothofredum Duces rem militarem tantum sub Brunone tractasse, multa sunt, quae persuadent. Quae enim alias Brunoni in Lotharingia potestas relicta fuisset, ob quam *dominatum totius Lotharingiae* habuisse diceretur? Neque alia, quam militiae munera ab iis tractata legimus. Ita Fridericus in charta quadam apud CALMETVM 1) dicitur *strenuus Dux, qui in Lotharingiensibus partibus militabat.* Godofredus Dux, praefectus legitur *auxiliaribus copiis, quas Bruno Ottoni de Lothariorum populo misit, QVIA IPSVM PER SE IRE NON LICVIT.* 2) Communiter vero Lotharingiae superiori tribuuntur Fridericus, Theodoricus, et Fridericus II., qui a. c10 xxxiiii. obiit. Iisdem tamen temporibus etiam Adalbertus, ex Comitibus Alsatiae oriundus, *Dux Lotharingiae et Marchio* celebratur: 3) nec reperit nuperus Historiae Lotharingicae Scriptor, quod de illo statuatur. Qui Ducatum Inferioris Lotharingiae tenuerint, illorum non aequae texti series potest. Scilicet tempus, quo praefecit Lotharingia in duos Ducatus diuisa, vti ipsa priorum

*Primi Duces  
vtriusque Lo-  
tharingiae mi-  
litares. De  
Carolo Duce.*



Ducum gesta, nondum satis, in aprico: Id vero maxime in obscuro est, quum Otto II. a. DCCCCLXXXVIII. Ducatum Lotharingiae dedisse legatur Carolo, fratri Lotharii, Regis Francorum Occidentalium, 4) idne de vniuersa Lotharingia intelligi debeat, an saltem de inferiori? 5) Quodli admittamus, Carolum inferiori tantum Lotharingiae praefectum fuisse; ita ordinanda erit series Ducum huius prouinciae: I. Godofredus, eiusque filius II. Godofredus; 6) III. Carolus, Lotharii Regis frater, et IV. eius filius Otto. Quo sine filiis defuncto, exclusis sororibus, Henricus Imperator Ducatum dedit V. Godofredo ex Ardennae Comitibus. Et hosce omnes fuisse Duces militares contendunt historiae illius Ducatus scriptores. 7) Id tantum obseruamus, vtrumque Ducatum nondum fuisse hereditarium, multo minus foemineae successionis. 8)

- 1) CALMET. I. c. inter Probatt. pag. 399. in charta de a. 1022.
- 2) RYOTGERVS in *vita Brunonis*, Cap. XXXVI. p. 286. Quis fuerit ille Godofredus, conici aliquantum potest EX VITA S. ADELAIDIS, Abbatissae de Willichen, prope Bonnam: *Mater (Adelaidis) Gerbirga dicta est, non minus generis nobilitate insignis, quippe filia Ducis Godofridi, ea tempestate magni et incomparabilis viri. Habuit vero Gerbirga quatuor fratres, inter proceres eius temporis praestantissimos, e quibus Godefridus Dux eiusdem cum patre nominis, et dignitatis, obiit absque coniuge et liberis.*
- 3) Adalbertus Dux Lotharingiae et Marchio reperitur in charta Egberti, Archi-Episcopi Treuirensis, apud CALMETVM I. c. inter Probationes p. 386. et in Dissertatione: *Sur la Genealogie des Ducs de Lorraine*, praemissa Tom. I. eiusdem Operis, p. CLXVII. Est ille pater Gerhardi, qui postea Ducatum ab Henrico III. accepit.
- 4) SIGEBERTVS GEMBLAC. ad a. DCCCCLXXXVIII. Ducatus Lotharingiae datur Carolo, fratri Lotbarii, Galliarum Regis, conducto multis in super beneficiis. Haec beneficia, quae fuerint, designat RICHARDVS VASSEVRGIVS in *Antiquitatibus Galliae Belgicae etc.*
- 5) Hunc Carolum Inferioris Lotharingiae Ducatu donatum fuisse probatissimi quidem scriptores adserunt; IO. BESLY tamen contra GOTHOFREDVM et VIGNERIVM praecipue contendit, illum vniuersae Lotharingiae, eadem, qua ante Bruno, formula, praefuisse, in Tractatu: *Par lequel il est prouvé, de quelle Lorraine Charles, fils du Roy Louis d'Outre-mer, estoit Duc? adnexo eiusdem Auctoris Historiae des Comtes de Poictou, et Ducs de Guyenne, quae produit Lutetiae 1647.* Certe



Certe ex epistola quadam THEODORICI, Episcopi Metensis, adparet, Carolum aliquando adrogasse sibi auctoritatem per vniuersam Lotharingiam. Ita enim ille ad Carolum: *Quid in Laudonensem Episcopum feceris, ipse nosti melius, breui tu Lothariensium regni angulo latitans, omissis quoque supercilio TE TOTI PRAEESSE iactitans.* Nonnulla quaedam in eandem sententiam reperiuntur passim in EPISTOLIS GERBERTI, quae extant Tom. XVII. Bibliothecae Maximae Patrum.

6) vid. not. 2)

7) Vid. De VADDERE *De l'Origine des Ducs et Duché de Brabant.* Cap. X. pag. 91. *La Lorraine inferieure n'a eu aussi des autres Ducs, que Vicaires, depuis l'an 959. jusques a l'an 1100.*

8) Quum enim a. 1005. Otto Dux diem supremum obiisset, sororibus eiusdem exclusis, Ducatus Lotharingiae inferioris Gothofredo dabatur. Et post mortem Friderici II. Lotharingiae Superioris Ducis, Ducatum eius Imperator concedebat Gotheloni. Quod certo est indicio, illum hereditarium non fuisse; multo minus ad foeminas deuolui potuisse. Pacit huc locus SIGEBERTI ad a. 1033. *Friderico Mosellanorum Duce mortuo, quia neres filios non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelo Dux, impetrato ab Imperatore etiam Mosellanorum Ducatu, in Lotharingia potentius principatur. Heredes huius Friderici dicuntur fuisse alienati omnino per Imperatorem. Sed filia Sefidi, fratris huius Friderici, cui adiudicatum fuit, TENERE ALLODIA PATRIS NON FEVDA.*

### §. IX.

Pauca quaedam de Marchionis seu Marchisi elogio, *In specie de Marchia Lotharingiae.* quo Duces Lotharingiae vtuntur, hoc loco subiiciamus. Lotharingia vti Duces, ita et Marchiones suos habuit. Neque placet illorum sententia, qui omnes Ducatus limitaneos, et potissimum Lotharingiam, vt Francia Occidentali, et Burgundiae regno obiectam Prouinciam, Marchionatus dictos putant. Plane enim certum est, Marchiones separata a Ducibus habuisse munia, ac singulari terrarum in prouinciis tractui, vt limites prouinciarum tuerentur, praepositos fuisse. In specie ostendit P. CALMETVS, 1) in Lotharingia ad officium Marchionis pertinuisse, securitatem viarum publicarum curare, eamque peregrinantibus praestare; duellis nobilium in prouincia praeesse; etc. In Lotharingia Inferiori Marchionatus plures fuerunt, distincti a Ducatu, 2) ex



quibus superest Antuerpiensis. In Ducatu autem Superioris Lotharingiae vtrumque munus coniunctum, ex quo Alfatii, (quos ante Marcam Lotharingiae habuisse probabile est,) Ducatum quoque obtinuerunt. Quae gens ab eodem, quo Habsburgica, stirpe propagata, Lotharingici nominis splendorem vtroque titulo ad haec vsque tempora seruauit.

1) AVG. CALMET. in Differt. *Sur les Titres de Marchis, que prennent les Ducs de Lorraine; praemissa Tom. III. Hist. Eccl. et Civil. Lotharingiae.* Iam ante illum haec quaestio peculiari Disquisitione excussa fuerat, quae extat inter *Commentarios de Pace Monasteriensi, T. IV. p. 456.* sub Titulo: *Ce qui signifie le Titre de Marchis, que les Ducs de Lorraine ajoutent a celui de Duc? qua ipsum territorium Marchionatus designatur his verbis: Les Ducs de Lorraine se sont toujours intitulés Ducs de Lorraine et Marchis, a sçavoir Ducs de Lorraine, parcequ'ils tiennent le Duché de la haute Lorraine, - et Marchis, a cause du País, situé entre le Comté de Metz, et celui de Treves, etc.*

2) Ita SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad a. 1006. p. 89. *Castrum Valentianum situm in Marchia Franciae et Lotharingiae* scribit.

## §. X.

Burgundias  
Regnum.

Burgundiae quoque Reges comiter colere auspicia Regni Germanici debebant. Certe Ludovicus Arnulphi auspiciis Rex Prouinciae factus legitur: 1) et Rudolfus, quum propria auctoritate in Burgundia Regium nomen adfectasset, ideo Arnulphum Imperatorem perpetuo infensum habebat. 2) Iisdem Consiliis instituisse videtur Otto M.: eoque refero, quod VITICHINDVS de Ottone scripsit, 3) *illum profectum in Burgundiam, Regem cum Regno in suam accepisse potestatem.* Denique Rudolfus III. Rex, Burgundiae Principum consensu, cum Henrico II. Imperatore Burgundiam 4) propius Germaniae addixit.

1) Vti colligimus ex actis conuentus Valentini apud IAC. SIRMONDVM Tom. III. p. 529.

2) REGINO ad an. 888. *Rudolfus prouinciam inter Iuram et Alpes Penninas occupat. Inde inuitis Primoribus et sacerdotibus, coronam sibi ipse imposuit, Regemque se adpellari iussit. Arnulphus omnibus diebus vitae suae eundem IDEO PERSEQVTVS EST.*

3) VI-



- 3) VITICHINDVS Lib. II. Annal. p. 649.  
 4) DITMARVS Lib. VII. p. 407. et 420. conf. omnino DNVS. PRAESES.  
 de *Nexu Regni Burgundici cum Imperio Romano Germanico. Sect. I.*  
 §. 20. *capit. de his temporibus in quibus ad imperium Romanum*  
 §. XI.

Illustrior est Italiae et Imperialis honoris accessio, qua ab illo tempore Germania summa prae aliis regnis dignitate eminet. Iam fere per LX. annos Itali rationes suas a Francis seiunxerant, quum Ottonis auxilium aduersus Berengarii Regis tyrannidem implorarent, atque nuptias Adelheidis, Lotharii Regis viduae, ipsamque Italiae regnum offerrent. Otto expeditionem in Italiam a. DCCCCLI. suscepit, victoque Berengario, et ducta in matrimonium Adelheide, iam Romam parabat iter, quum patrii regni negotiis reuocaretur in Germaniam. Iam tum quidem regni Italici titulum sumit. 1) Sed res mox ita composita, vt Berengarius benefico Ottonis in Italia regnaret; Quemadmodum et Berengarius I. ab Arnulpho olim regnum suscepit. 2) Is in Germaniam profectus A. DCCCCLII. Augustae Vindelicorum in Comitibus, clientem se professus Ottonis, Italiae regnum ab ipso accepit: quod ita exprimit, qui RHEGINONIS Chronicon contuauit 3) *Regiae se per omnia in vasallium dedit dominationi: et Italiam iterum cum gratia, et dono Regis, accepit regendam.* HROSWITA, in Panegirico Ottonis, docet adiectam conditionem:

*Vt posthac populum regeret clementius ipsum;*  
*Quem prius imperio nimium contriuit amaro. 4)*

Tunc et Veronensem et Aquileiae tractatus, vt Germanis aperta esset in Italiam via, et Berengarius melius in officio contineretur, retinuit, eumque limitem tuendum commisit Henrico fratri, Boioariae Duci. Vnde clarum postea Marcae Aquileiensis in Rebus Germaniae nomen. Sed IX. post annos iam alia forma subsequuta est. Vexati a Berengario Itali, et ipse Pontifex Iohannes XII. instabant, vt in Italiam veniret, atque ipse Imperium capesseret.

*Italia et Imperiale elogium, ad Germanos peruenit. Berengarius, Italiae Rex, Vasallus Ottonis.*

*Non habet  
 Berengarius  
 Pontifex  
 Iohannes XII.  
 Berengarius  
 Vasallus*



ret. Tum ille, profligato Berengario, Italiam ipse regendam suscepit, atque Romae A. DCCCCLXIII. a Papa Iohanne XII. Imperator Augustus coronatus est. In cuius rei memoriam in Sigillis aliquot eius, et successorum, adparet Titulus: *RENOVATIO IMPERII ROMANORVM.* 5)

- 1) Ottonem inuitatum ad regnum satis constat. Id nondum memini obseruatum, eum et re ipsa iam tum Italiae titulum suscepisse: Id vero adparet ex diplomate ap. AVG. CALMET: *Tom. I. Hist. Lorbar.* inter Probat. p. 361., in quo *Otto Rex Francorum et Hittalorum* dicitur, et in ipsa subscriptione annos regni in Italia numerat: *Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCCLII. indictione X. anno Domini Ottonis, in Italia primo, in Francia XVI. Data XII. Kal. Febr. Actum Papie in Dei nomine.*
- 2) Illud de Arnulpho docet LVITFRANDVS Lib. I. cap. VII. *Berengarius potentissimum Arnulphum Regem in auxilium rogat, promittens, se suosque eius potentiae seruituras, si regnum sibi Italicum vindicaret,*
- 3) HROSWITA in carmine de *Laudibus Ottonis*, p. 200.
- 4) CONTIN. RHEGIN. ad a. 952. VITICHINDVS Lib. III. p. 652. scribit: *Berengarium famulatui Regis se, cum filio suo, subiugauisse.*
- 5) Bullam eiusmodi auream Ottonis III. exhibet IO. MABELLONIUS Suplem. ad *Libr. de Re diplomatica* cap. XI. §. 3.

## §. XII.

*Num Roma et Exarchatus Pontifici tunc cesserit? Urbis Romae subsecutio.*

Hoc tempore num Urbis Romae et Exarchatus domini Pontifici Romano Ottonis M. beneficio cesserit, aut sub Imperatorio iure iuxta reliquam Italiam manserit? nunc breuiter disquirendum. Adserit nimirum BARONIUS, Ottonem M. Iohanni Pontifici urbem Romanam, Exarchatus terras, et plures alias, Regali munificentia tunc concessisse; idemque tabulas adeo huius donationis producit. 1) Sed eas alii vt spurias, ac supposititias reiciunt. 2) Huic disquisitioni diutius immorari non est animus. Namque ex ipsis tabulis, etiamsi BARONIO ac PAGIO genuinas esse largiaris, omnino patet, supremam potestatem Ottoni, ac successoribus omnino saluam in his terris mansisse, vna cum iure ordinandi sedem Apostolicam. 3) In eam sententiam, CAROLVS SIGONIVS



NIVS de Italiae regimine differens: 4) *Quaquam Italia, inquit, a Rege eodemque Imperatore, et a Romano Pontifice tenebatur; non eadem tamen erat in utroque auctoritas. Pontifex Romam, Ravennamque et ditiones reliquas tenebat auctoritate magis, quam imperio, quod civitates Pontificem ut Reipublicae Principem, Regem vero, ut summum Dominum, intuerentur, atque ei tributa obsequiaque praeberent.* Certe maximam Imperatorum deprehendimus potestatem cum in vrbe Roma, 5) tum in iis terris, quae, si fidem tabularum sequamur, Pontifici donatae fuerunt: ac innumera supersunt diplomata Imperatorum, quibus tum iura Regalia, tum fundos et praedia in iis provinciis sita, Ecclesiis, monasteriis, aut Proceribus elargiti sunt. Equidem hoc loco meminisse conveniret duarum chartarum, quas CAES. BARONIVS, ut simul refelleret, in medium protulit. 6) Altera est Leonis VIII. Pontificis qua omnia Imperii bona, olim Pontificibus Romanis a Pipino et Carolo M. donata, Imperio restituntur. Sed illam BARONIVS atque PAGIVS manifestae falsitatis iam convicere. Altera est Ottonis III., 7) qua donationes omnes Maiorum ab Imperatore reuocantur, et octo tantum Comitatus Syluestro II. Papae relinquuntur. Ipsam tamen suspectae fidei a pluribus habitam, hoc loco examinare non est animus.

- 1) CAES. BARONIVS in *Annal. Eccl.* Tom. X. ad a. 962. num. III. pag. 879. seq. Earundem vindicias instituit ANT. PAGIVS in *Critica Histor. Chronol.* in *Annal. BARON.* ad eund. annum. n. 2.
- 2) MELCH. GOLDASTVS, Tom. II. *Constit. Imper.* p. 44. et eod. Tom. p. 393. et nouissime DN. a LVDEWIG, in *Singularibus Iuris Publ.* Tom. I. p. 253.
- 3) Sic in praedicto diplomate concedit Otto Pontificibus Ducatum Tusciae, et Spoletanum *salua suer eosdem Ducatus nostra in omnibus dominatione, et illorum ad nostram partem et filii nostri subiectione.* Postea confirmata iterum omni donatione Imperator eiusque filius se Pontificum, in quantum poterint, *defensores fore testantur, ad hoc ut ea dominia in illorum ditione, ad utendum et fruendum atque disponendum firmiter valeant obtineri, salua in omnibus potestate nostra, et filii nostri, posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto et constitutione ac promissionis firmitate Eugenii Pontificis, successorumque illius continetur, id est:*



*Vt omnis Clerus, et vniuersa populi Romani nobilitas, propter diuersas necessitates, Pontificum irrationabiles erga populum sibi subiectum asperitates retundendus, sacramento se obligent, quatenus futura Pontificum electio, (quantum vniuscuiusque intellectus fuerit) canonicè et iuste fiat; et vt ille, qui ad hoc Sanctum et Apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in praesentia Missorum nostrorum, vel filii nostri, seu vniuersae generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione, atque futura conseruatione, qualem dominus et venerendus spiritalis Pater noster Leo sponse fecisse dignoscitur.*

- 4) CAR. SIGONIVS Lib. VII. *Histor. de regno Italiae* p. 177.  
 5) LVITRANDVS Lib. VI. c. 6.  
 6) Iura Regalia in Vrbe Romaa Saxonis Imperatoribus exercita, pluribus offendit DN. a LVDEWIG I. c. p. 203.  
 7) BARON. in *Annal. Eccles.* Tom. X. ad a. 964. num. 25. add. PAGES ad eund. annum.  
 3) Exhibet eam BARONIVS Tom. XII. *Annal. Eccles.* ad a. 1191. n. 57

## §. XIII.

*De Constitutione Synodica Leonis VIII.*

Postea A. DCCCCLXIV. Otto cum Leone VIII. omni- que Clero et populo, veluti ab integro, constituit rationem noui Imperii. Extat Synodale Decrerum Leonis VIII, 1) quo Ottoni eiusque successoribus tria conceduntur, facultas sibi eligendi successorem, ius ordinandi summae sedis Pontificem, et denique inuestitura Episcoporum. Hanc constitutionem GRATIANVS quidem Decreto inferuit: 2) Sed BARONIVS 3) magno conatu vt suppositiciam impugnavit, vtque a SIGEBERTO, vel alio quopiam scriptore, partibus Henrici IV. addicto, suppositam traducit. PAGIVS etiam, atque alii Viri docti 4) eam reiciunt. Alii contra, inque iis PETRVS DE MARCA, 5) et LVDOVICVS THOMASSINVS, 6) aequius de illa iudicium tulerunt. Difficile est quidem, de fide tabularum ratiocinari, quarum archetypum inspicere non licet: Interea tamen nec BARONII argumenta ita comparata sunt, vt fidem derogare huic decreto possint. 7) Sed quicquid demum de tabulis huius sentias, rem ipsam sane tum ita gestam fuisse, et Scriptorum veterum testimonia



monia loquuntur, 8) et tota historiae series offendit. Quod in specie atinet ad ius ordinandi summae sedis Pontificem, id Otto post mortem Leonis VIII., petentibus Romanis, exercuit, 9) eodem prorsus modo, quo in adlegata Constitutione definitum legitur.

- 1) Dabimus hic Constitutionem, qualem C. BARONIVS exhibet, Tom. X. *Annal. Eccles.* ad a. 964. n. XXII. desumptam ex Decreto Gratiani. In Synodo congregata Romae in Ecclesia S. Salvatoris. Ad exemplum B. Hadriani Apostolicae sedis Antistitis, qui Domino Carolo, victoriosissimo Regi Francorum et Longobardorum, Patriciatus dignitatem et ordinationem Apostolicae sedis, et inuestituram Episcoporum concessit: Ego quoque Leo Episcopus, seruius seruorum Dei, cum toto Clero et Romano populo consueuimus, et confirmamus, et roboramus, et per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus, atque largimur Domino Ottoni primo, Regi Teutonicorum, eiusque successoribus huius regni Italiae in perpetuum, facultatem eligendi successorem, atque Summae Sedis Pontificem ordinandi, ac per hoc ArchiEpiscopos, seu Episcopos, ut ipsi ab eo inuestituram accipiant, et consecrationem unde debent, exceptis his, quos Imp. Pontificibus et ArchiEpiscopis concessit, ut nemo Princeps cuiusque dignitatis vel religiositatis eligendi vel Patricium, vel Pontificem summae sedis Apostolicae, aut quemcumque Episcopum, ordinandi habeat facultatem absque consensu ipsius Imperatoris, quod tamen fiat absque omni pecunia, et ut sit Patricius et Rex. Quodsi a Clero et populo quis eligatur Episcopus, nisi a supra dicto Rege laudetur et inuestituram non consecratur. Si quis contra hanc regulam et Apostolicam auctoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subiaccere decernimus; et nisi resipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel ultimis suppliciis adfici.
- 2) Dist. LXIII. c. XXIII.
- 3) *Annal. Eccles.* T. X. ad A. 964. n. 22. seq.
- 4) Inque iis Auctor Libri: *Les droits de l'Empire sur l'Etat Ecclesiastique*, in Tabulis Chronologicis, operi praemissis. p. XVII. Et ex nostratibus HAHNIVS in *der Reichs-Historie* Part. II. cap. 3. §. 13. p. 74.
- 5) De *Concord. Sacerd.* et *Imp.* Lib. VIII. cap. 12. §. 10.
- 6) De *disciplina Ecclesiae Veter. et Nou.* T. III. Lib. 2. cap. 26. n. 7. 8.
- 7) Faciamus periculum, quid responderi possit ad argumenta, quibus BARONIVS Synodalem hanc Leonis VIII. Constitutionem impugnare fategit. Primum est, prouocari in hac Constitutione ad concessionem ab Hadriano Papa factam Carolo magno, quam ipse iam ante (ad A. 774) falsi conuicerit, idque argumentum PAGIVS omnium validissimum existimat. Sed quamquam non desint, quae pro Authentica Constitu-



stitutionis Hadriani proferri possint, qualia iam delibavit PETRVS DE MARCA de *Concord. Sac. et Imp.* Lib. VIII. cap. 12. Non opus tamen est iis immorari. Namque in hac Constitutione prouocatur non ad tabulas Decreti Hadriani, sed ad factum eius Pontificis. Tum porro vrget Eruditissimus Cardinalis tribui in hac Constitutione Ottoni, et sit *Patricius et Rex*: quum constet, illum iam antea Iohanne XII. coronatum fuisse: Sed neque noui quid conferre se profiteretur Leo Pontifex, sed renouare Sacerdotii, et Imperii nexum, qualem Hadrianus sancierat. Denique BARONIUS ad comminationem illam ultimi supplicii, quae in fine eius decreti adiecta legitur, exclamat: *Quam illud abhorret a Romanorum Pontificum Constitutionibus, et violatoribus poena mortis etiam irrogetur?* Sed ipsa haec Constitutio, in Synodo sancita, non modo Pontificis, sed populi etiam auctoritate munita fuit, ac veluti legem Maiestatis continet: Necessarium autem erat, seuerius aliquid intentare rebellibus, quoniam ipse Leo paulo ante vrbe pulsus, nouas iniurias, quam primum discesserit Imperator, metuere poterat. Addit quidem BARONIUS, veluti ipse diffusus argumentis haecenus prolatis: *cuius roboris, etiamsi vera esset Leonis ipsius haec Constitutio) esse potuit, quae ab eo edita est, qui nec est dignus, qui Pontifex nominetur, sed intrusus et occupator potius sit nominandus?* Id vero prorsus temerarium est, Pontificatum Leonis sollicitare per tot secula ab Ecclesia agnitum, et omnia adeo eius acta rescindere velle.

8) LVITERANDVS Lib. VI. cap. 6. *Ciues, Ottonem in urbem suscipiunt, fidelitatemque promittunt; Haec addentes: Nunquam PAPAM ELECTVROS aut ORDINATVROS praeter Consensum Ottonis, AVCTOR VITAE MATHILDIS, cap. V. in Script. Rerum Brunsvicens. T. I. p. 205. haec habet: Totus populus Romanorum se sponte subiungunt ipsius (Ottonis) dominatui, et sibi soluebant tributa, et post illum ceteris suis posteris.*

9) CONT. REGIN. ad A. 965. p. 83. *Dominus Leo Papa obiit. Tunc legati Romanorum, Azo videlicet Protoscriniarius, et Marinus Surriensis Ecclesiae Episcopus, Imperatorem pro instituendo, quem vellet (Imperator scilicet) Romano Pontifice in Saxoniam aduenientes honorifice suscipiuntur et remittuntur. Et Orgerus, Spirensis Episcopus, et Linzo Cremonensis Episcopus, cum eisdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Ioannes, Narniensis Ecclesiae Episcopus, eligitur, Sedisque Apostolicae Pontifex inthronizatur.*

#### §. XIV.

*Italiae sub Saxonis formulis etc.*

Hac ratione Italia populorum voluntate, armis, paucisque adquisita fuit, et eadem formula, qua Carolingi Imperatores habuerant, 1) imo auctoritate maiori tenebatur.



batur. 2) Restitutaque Germanorum virtute dignitas pristini Regni, atque aduersus Graecos et Saracenos vindicata. Ceterum omnem Italiae statum repraesentare difficile, et nimis prolixum fuerit, atque ideo quasdam tantum obseruationes hic proferimus. 1) Ius ordinandi sedem Papalem, et inuestituram Episcoporum, vti exercuerint Augusti, iam supra attigimus. Prouinciae ab Officialibus, qui iura populis redderent, eosque in fide continerent, administrabantur. Eminuitque inter omnes Marchionum Tusciae potentia: inter quos sub Ottone III. Hugonis nomen clarissimum. 2) In Ciuitatibus nonnullis, vti Capuae, Beneuenti, et Salerni Principes, supremo iure Imperatoribus reseruato, constituti. 3) Ceteris vero vrbibus eum libertatis gradum relictum CAR. SIGONIVS existimat, 4) vt *leges, consuetudines, iurisdictionem, magistratus, vectigalia sui ferme iuris atque arbitrii habuerint, ita tamen, vt sacramentum Regibus dicerent, vnde alios sibi praefectos Reges, alios ciuitates ipsae constituerint.* Tributorum, quae populi Regibus pendeabant, tres species celebres sunt, *fodrum, parata, ac mansionaticum:* quae Otto M. a Francis retinuerat. Illa sic explicat laudatus SIGONIVS. 5) *Fodrum fuit summa quaedam frumenti, quam aduenienti in Italiam Regi soluere populi tenebantur, pro quo saepe etiam aestimata pecunia pendebatur: Parata sumptus, quos iidem in vias pontesque fluminum, qua transiturus, aut quo aditurus Rex erat, rescindendos impendere. Mansionaticum sumptus in lecta, et cetera, quae Regio exercitui, in agro hospitanti, necessaria praebere iubebantur; siquidem tantum Regibus ius terrae tributum est, vt ex omnibus, quae ipsa ferre ad usum hominum necessaria solet, exceptis bobus, seminibus ad colendam terram idoneis, quantum opus militibus fuerit, ad Regios usus suppeditatum sit.* Regibus absentibus vicarii Imperium moderabantur, qualis Hugo Tusciae Marchio fuit, qui Italiam per ali- quod tempus, iussu Ottonis III., 6) procurauisse legitur.



- 1) Data opera hoc offendit HERM. CONRINGIVS in Tract. de Romano Germanorum Imperio Cap. 7. et 8. atque de finibus Imperii c. 9. et 10.
- 2) Id docet praestantissimus, et disertissimus Historiae Neapolitanae scriptor, PETRVS GIANNONIVS in *Historia Civili Regni Neapol.* Lib. VIII. Cap. I. p. 486. cuius verba, quum plura ad argumentum hocce faciant, integra transcribamus. Ita autem ille: "Sopra queste nostre Prouincie, assai maggiore autorità acquistossi Ortone, che Carlo M. istesso, é la sovranità, che vi esercitò fu di colui assai maggiore. Non erano i nostri Principi Longobardi, come il Principe di Benevento, dominazione, siccome fecero Arechi, e Grimoaldo, Principi di Benevento, con Carlo M. e Pipino suo figliuolo; anzi dichiararonsi di lui ligi, é Feudatari, sottoponendo à lui i loro Stati, é riconoscendolo Ré d'Italia con quella medesima sovranità, che i loro maggiori riconobbero gli antichi Ré Longebardi; é ciascuno di loro à gara mostravasi tutto à lui ossequioso, e riverente, per acquistarsi la sua grazia, é protezione.
- 3) De hoc Hugone imprimis conf. SIM. FRIDER. Sahn in *der deutschen Reichs-Historie* Lib. II. c. 5. p. 154.
- 4) CAR. SIGONIVS Lib. VII. *Histor. de Regno Italiae* p. 175.
- 5) IDEM I. c.
- 6) Ipse Otto III., Imperator, in Ep. ad Gerbertum n. CLVIII. *Epistolae Gerberti*, p. 609. in Tom. XVII. BIBLIOTH. MAX. PATRVM. (Hugonem) nostrum legatum, (Italis) ad praesens praefecimus, ut populi relictorem habeant, et vobis eius opera debita servitia adhibeant.

## §. XV.

De Nexu  
Eius cum  
Germania.

Non vero Ottoni M. tantum eiusque familiae, sed ipsi Germaniae, et Ottonis in ea successoribus, Italia adq̄sita. Siquidem Germanorum auspiciis, armis, opibusque et bellum paratum, et pacis consilia administrata. 1) Huic iuri ab eo tempore insisterunt Germani, et ipsi Itali, quoties in Italia nonnulli res novare cuperent, vti post mortem Ottonis III., quum pars Italorum Ardoinum, Marchionum Eporoedicae, Regem proclamasset: iterumque post excessum Henrici II., quum studiosi rerum novarum, Aquitaniae Ducem ad Sceptra vocarent. Singularis autem Italiae, ac a Germanico re-  
gno



gno separati Imperii manserat formula. Hinc Augustos praeter Imperialem titulum etiam Reges Itatorum, Longobardorum, et Patricios Romanorum in diplomatibus adpellatos, atque annos Imperii, et Regni Italici separatim numerari advertimus. 2) Titulus autem Regis Romanorum primum a Benedicto VIII. Henrico, Imperatori iam coronato, tributus legitur. 3) Imperatores, quum in Germania degerent, aliquem in Italia, qui suas vices sustineret, reliquisse, adparet ex iis, quae de Marchione Tusciae supra notauimus. Ex eadem peculiatis regni indole deriuandum singulare Italiae Archi Cancellarii officium, quo munere Italici tantum Episcopi initio fungebantur. Nonnunquam tamen Imperatores in vtriusque regni administratione, magis quid expediret, quam certam aliquam formam videntur respexisse: populis ad commune commodum amice conspirantibus. Itaque saepe Principes Germaniae evocati in Italiam, et cum iis in Comitibus et Synodis in Italia habitis aequae de rebus Germaniae, ac in Germanicis comitiis de Italiae negotiis, deliberatum. 4) Hinc et diplomata, ad res Germanicas spectantia, sub auspiciis Archi Cancellariorum Germaniae in Italia conscripta habemus: 5) Et vicissim tabulas, quae Italica negotia concernunt, vice Archi Cancellariorum Italiae, in Germania signatas. 6) Quin extant huius generis nonnullae vice Archi Cancellariorum Germaniae recognitae. 7)

1) Namque iuris gentium esse, populos bello victos, quum non sine civium sanguine ac sudore quaesiti fuerint, civibus quaesitos potius credi debere, quam Regi, ostendit V. C. IO. BARBEYRACIVE, in notis Gallicis ad HVG. GROTIUM *de iure Belli et Pacis*, Lib. I. Cap. III. §. XI. num. I.

2) vid. Observaciones IO. HENR. BOECLERI in *Ottone M.* p. 298. 299. et diploma eiusdem Imperatoris ap. CALMET. *Histor. Lorbaring.* Tom. I. inter Probat. p. 361.

3) Bullam hanc Benedicti VIII. exhibet CHRIST. BROWERVS Tom. I. *Annal. Treuir.* Lib. XI. n. IX. p. 505. *Data VI. Idus. Aprilis mensis, per manus Benedicti Episcopi, Apostolicae sedis Legati. Anno Henrici Inuictissimi REGIS ROMANORVM XVII., Imperii vero eius tertio.* Hoc tamen titulo ipse nunquam usus legitur.



- 4) Huc faciunt adprime verba Ottonis M. in diplomate apud FERD. VGHELL. Tom. II. *Italiae Sacrae* p. 201. *Quum nos, inquit, in Calabria residebamus, ibique nostro Imperiali Iure nostris fidelibus tam Catalabris, quamque omnibus Italicis, Francicisque ac Teutonicis leges praecipuae imponeremus.* In Synodo Rauennae habita Otto I. Metropolitani Magdeburgensem instituit. Et Otto II. Veronae vniuersi Imperii statum ordinauit, vt testatur DITMARVS Lib. III. *Annal.* p. 347.
- 5) Ita in diplomate Ottonis I., Abbatiae Chiemsee in Bauaria concessio, *Laingerius Cancellarius ad vicem Hattonis,* (Archi Episcopi Moguntini,) *subscripsit. Actum in Tuscania, in loco, qui dicitur Monticulo, super flumina Arne, prope Ciuitatem Lucam.* Extat ap. CHRIST. GEWOLDVM in *Addit. ad WIGVL. HVNDII Metropolitani. Salisburg.* Tom. II. p. 146. Alia eiusdem fere formulae subscriptio in diplomate, Ecclesiae Paderbornensi Rauennae dato, occurrit ap. NIC. SCHATENIVM in *Annal. Paderborn.* Tom. I. p. 311.
- 6) Ex pluribus chartis apud FERD. VGHELLVM in *Italia Sacra* vicem adlegasse suffecerit. Ita in diplomate Episcopis Parmensibus concessio, quod extat. Tom. II. p. 161. *Videlbertus Cancellarius ad vicem Petri Episcopi subscripsit Quedlinburgi A. 979.*
- 7) Duo apud laudatum VGHELLVM nobis occurrere diplomata, quorum prius Episcopis Parmensibus concessum, *vice Brunonis,* (Coloniensis,) *Archi Cancellarii, subscripsit, Wilerius Cancellarius,* et extat ap. EVND. Tom. II. p. 158. alterum *Willigisi,* Archi Episcopi Moguntinensis, *vice recognouit Egilbertus Cancellarius A. 1004.* vt videre est l. c. Tom. V. p. 28.

## §. XVI.

*Ius familiae  
regnatricis.*

Quum ea potentia, eaque dignitate imperarent Saxonici Principes, idem quoque regni ius, quale Carolingi habuerant, familiae suae adseruerunt. Certe eadem autoritate, qua in Comitibus de successione statuerant, filios collegas Imperii in iisdem adsciuere. 1) Etiam Regum filiae, non secus vt olim apud Francos, Reginae vocabantur. 2) Imo Mathildi, Ottonis I. filiae, Abbatissae Quedlinburgensi, Otto III. quum in Italiam tenderet, summam rerum in Germania commisit. 3) Nec non agnatis Regum interdum haec necessitudo profuit, vt in electione aliis Candidatis praeferrerentur. Ita post fata Ottonis III., qui Henrico studebant, eum *iure hereditario regnaturum* iactabant. 4) Certe maxime



maxima dignitate, qui Regiae familiae coniuncti erant, in regno floruerunt, ipsisque potentiores plerumque Regni Ducatus procurandi commissi, aut si Clericorum Ordinibus adscripti vel Capellae Regiae (quod ministerium eos frequentissime obiisse VINC. TVRTVRETVS obseruauit, ) 5) addicti essent, insigniores Archi Episcopatus collati fuere. Idque inter arcana dominationis fuisse videtur. Id singulare, quod scriptor vitae Adalberonis, Episcopi Metensis innuit, in Synodis etiam ipso sedendi ordine, atque adparatu ante alios honoratos fuisse Episcopos, qui Regiam domum necessitudine adtingerent. Ita enim ille de Adalberone, *quum consanguinitate et adfinitate Regi adsidenti, et cunctis, qui ex Magni Henrici linea descenderant, adprime coniunctus (esset) sacrae Synodo intersedebat, et ut erat cunctis consacerdotibus nobilior excelliorque, sic nobiliori celsiorique sella inter suos proeminebant.* 6)

1) Veritatem huius adfert 10. NICOL. HERTIVS in *dissert. de Origine et progressu specialium in R. G. Imp. Rerumpublicarum* s. VII. aliisque pluribus adstruxere.

2) Sic VITICHINDVS in *Annalibus* eas passim hoc elogio exornat: Add. CAR. CANGIVS in *Glossario Mediae et Infimae latinitatis*, voc. *Regina*, et 10. MABILLONIVS *de re diplomatica*, Lib. II. cap. VI. §. 5.

3) ANNALES HILDESHEIMENSES ad a. 997. p. 721. *Imperator Italiam perrexit, summa rerum dominae Maabildae, amicae suae, Quidlinburgensi Abbatisae delegata, in qua ultra sexum mira prudentia enituit.* Add. DITM. Lib. IV. *Annal.* p. 356. qui Comitia Magdeburgensia et Dornburgensia sub eiusdem auspiciis habita refert.

4) DITM. Lib. V. p. 368.

5) Vid. VINC. TVRTVRETVS in *Libro singulari de Sacello Regio, sive de Capellis et Capellanis Regum*, cap. IV. §. 4, 5. p. 48.

6) Ita AVCTOR VITAE ADALBERONIS p. 674. Egregie illustrantur illa ex HVGONE FLAVINIACENSI P. II. *Chron. Virdun.* p. 163. ubi haec habentur: (Henrici II.) *Curiam pro quibusdam negotiis dominus et pater Ricardus (S. Vitoni Virdunensis Abbas) adire compulsus, venerabilem Fredericum (monachum) secum duxit, qui et de Imperiali sanguine procreatus, et Principibus regni erat novissimus, ut, quod per se posse diffidebat, illius obtineret gratia, cui aliquando, dum esset in seculo, tota parebat curia. Verum dispositis sedibus, et residentibus Pontificibus et Abbatibus quum longe inferius resideret pater mitissimus*



*tissimus (Richardus) et memorabilis eius monachus (Friedericus) ut Regis, et Principum consanguineus inter primos Palatinis consiliis interesset, eminentiorique loco sederet, ratus non sibi fore utile, si patri, cui parebar, praecederet sessionis ordine, rem fecit memorabilem et imitandam posteris. Surgens namque a latere Principis, et suppedaneum suum ipse ferens, Abbatem suum petiit, et posito ad pedes eius suppedaneo, in eo ipse refedit.*

## §. XVII.

*Ius Augustarum.*

Præcipuus post Reges Reginis Augustis honos habitus fuit: quæ Regali etiam, atque Imperiali corona insigniri solebant. 1) Inde et aequæ ac Imperatores SEMPER AVGVSTAE dicuntur: 2) Ipsique Caesares eadem COIMPERATRICES AVGVSTAS, et IMPERII REGNORVMQVE CONSORTES in diplomatibus adpellant. 3) Quod autem Adelheidis, iam vidua, ab Emma, Franciæ Regina, splendido MATRIS REGNORVM titulo honoratur, 4) id Emma pro filiali pietate scripsit: atque non minus foecunditati Augustæ, quam prudentiæ, et auctoritati eius blandita est. In regno vero summa florebant auctoritate, et insignes partes in administranda Republica tuebantur. Ita de Adelheide, Ottonis I. coniuge, scribit ODILO, Abbas Cluniacensis, eam cum Ottone feliciter diu gubernasse Romani Imperii Monarchiam. 5) Ipsi Reges mariti nunquam vices suas in absentia gerendas detulerunt, ut de Herico II. legimus, qui Cunigundæ Imperatrici regnum, prout curaretur ab ea, remisit. 6) Eandem laudat WIPPO, 7) quod post mortem Imperatoris, quamvis maritali vigore destituta, tamen pro viribus Reipublicæ succurrerit. Potior adhuc ipsarum fuit auctoritas, quam filii in regno succederent, minores annis. Tunc enim tutelam matri Augustæ iure competiisse, illustre exemplum Ottonis III. docet: Quo impubere non modo ad matrem Theophaniam respiciebant Principes, sed etiam Adelheidin auiam inuitabant, 8) quæ licet magna auctoritate in Germania polleret, 9) tutela tamen præcipue ad matrem Theophaniam videtur spectasse. De illa DITMARVS: 10) Regnum filii custodia servabat virili, demulcens in omnibus pius, terrensque ac superans erectos. Quod



Quod inprimis praestitit, quum pro filio Italiam regeret: Extantque diplomata, ipsius nomine in eodem regno data, apud MABILLONIVM 11) et MYRATORIVM 12), in quibus ipsa annos imperii sui a tempore coniugii cum Ottone II. numerat. Hac ratione quum Augustae in partem curarum regendae Reipublicae venirent, in Comitibus quoque et Conciliis locus iis assignatus. Eius rei exempla nonnulla protulit 10. SCHILTERVS, 13) quibus hic addimus Praefationem Synodi Tremoniensis, in qua nomen Cunigundae, quae interfuerat, aequae ac Henrici Regis memoratur: *Actum est*, incipiunt decreta Synodi illius, 14) *hoc decretum eiusdem (Henrici II.) victoriosissimi Regis, et coniugis eiusdem GLORIOSISSIMAE CVNIGVNDAE REGINAE, nec non et ArchiEpiscoporum horum Heriberti Colonienfis, Lieuizonis Brementis, Thaginionis Magurgensis, etc.* Ceterum de Coniugem Regis matri Reginae praerogatiuam honoris concessisse ex VITA MATHILDIS, Henrici I. coniugis, colligas. Namque illius scriptor refert: 15) quum Mathildis aliquandiu exclusa ab aula filii Ottonis, degisset, instituisse Editham Reginam, *ut reuocetur mater sanctissima, regnumque, ut conuenit, prima possideat, hisque precibus Ottonem motum eam reduxisse, et sicut dignum erat, primam constituisse.* Iam quum ea dignitas, ea etiam auctoritas Reginarum fuerit, nemo mirabitur, durasse ex Francicae aulae more, ut singulares Archiofficiales et officiales haberent. Perpetuum ipsis ArchiCapellannm tunc Otto I. Abbatem S. Maximini Treuirensis constituit. 16) ArchiCancellarii vero istarum nulla fere ex his temporibus memoria superat. Diplomata Theophaniae signata videmus ab ArchiCancellariis Regni. Neque de aliis Augustae Officialibus Palatinis quidquam notatu valde dignum reperimus. *Gero Pincerna Reginae Cunigundis* memoratur apud DITMARV. 17) Sed is non hereditarium aliquod, aut publicum munus Imperii sustinuisse videtur.

1) De Edithae Coronatione ita DITMARVS Lib. II. Annal. p. 331.  
*Otto coniugem suam Editham, quam viuo patre duxerat, consecrari*  
 D pra-



- praecipit. Adelheidem Romae accepisse Imperialem coronam, ex VITA MATHILDIS, Cap. V. §. 25. constat. Theophaniam a Iobanne Papa coronatam esse legimus apud ALBERICVM, P. II. Chron. ad a. 972. De Regali coronatione Cunigundae scribit ADELBOVDVS in Vita Henrici S. p. 433. Cunigunda Patberbrunnam veniens adclamatur, benedicitur, coronatur, et fit Kunigunda Kuninga. Eandem et Imperiali decoratam corona ex DITMARO constat, qui Lib. VII. Ann. p. 400. refert: *Henricus Rex cum dilecta suimet coniuge Cunigunda ad ecclesiam S. Petri, Papa expectante, venit, et ab eodem unctionem, et coronam cum contestali sua suscepit*
- 2) Ex pigris vnicam chartam Ottonis III., qua hoc elogio Theophania insignitur, adlegasse sufficiat. Extat apud CHRIST. GEWOLDVM in Addit. ad WIGVL. HVNDII *Metrop. Salisb.* Tom. I. p. 241. vbi haec verba: *Sufficiendae venerationis Theophania, Domina mater nostra, SEMPER AVGVSTA,*
- 3) Sic Otto I. Adelheidem passim in diplomatibus CONSORTEM IMPERII vocat, quale retulit SAM. GVICHENONIVS in *Biblioth. Sebustiana*, Cent. II n. 88. Et Otto II. in diplomate de a. 973. apud IEBNIT. Tom. II. *Script. Rer. Brunsvic.* p. 375. Theophaniam dicit: *Dilectissimam coniugem COIMPERATRICEM AVGVSTAM, nec non IMPERII REGNORVMQVE CONSORTEM.* Eodem elogio etiam Cunigundam decorat Henricus S. in charta ap. GEWOLD. l. c. p. 95.
- 4) Ita nimirum Epistola Emmae Reginae, quae est inter Epistolas GERBERTI LXXVII. Tom. XVII. *Biblioth. Max. Patrum*, p. 679. *In hoc et in reliquis, quae sequenda ac vitanda sunt, vestro iudicio utemur, ut non solum Emmae Reginae, sed omnium dicamini MATER REGNORVM.* Et Epist. CXXVIII. p. 686. inscribitur: *Adelaidi MATRI REGNORVM. Certe clarissimam Dominam, et MATREM REGNORVM vos hactenus fuisse, manifestum est.*
- 5) ODILO CLVNIACENSIS *io vita Adelheidis*, n. IV. p. 268.
- 6) DITM. Lib. VI. p. 393.
- 7) WIPPO in *vita Conradi Salici*, p. 423.
- 8) CHRONOGRAPHVS SAXO ad a. 984. p. 197. *Missis ad Imperatricem Adelheidem legatis in Longobardiam, hi, qui partes Regis (Otonis III.) adiuturi, iurisiurandi vinculo in hoc firmiter perdurandum se constrinxerant. hanc perturbationem (ab Henrico Bauariae Duce, pro Rege se gerente, factam) cito intimantes, si quid de regno ac nepote curaret, adueniens sui et consilii ope suis vt cito succurreret, rogauerunt.*
- 9) Adeo vt etiam auctoritate aliqua in constituendis Episcopis gauisa videatur. Constat enim ex VITA ADALBERONIS, Metensis Episcopi, apud LABBEVM, Tom. I. *Biblioth. MSS.* p. 671. quod *Adalbero procurante matre Beatrice, serente Domina Adelheide Augusta, Meri Praesul eleuatus fuerit.*



- 10) DITM. Lib. IV. *Annal.* p. 349.
- 11) Apud MABILLONIVM in *Annalibus Ord. S. Benedicti* Tom. IV. Lib. I. p. 69. Subscriptio diplomatis ita sese habet: *Adelbertus Cancellarius ad vicem Petri Episcopi, et Archicancellarii recognovit. Datum Kal. Aprilis a. DCCCCXC. Imperii Dowinae Theophanu Imperatricis XVIII, Indictione III. Asum Ravennae feliciter.* Obiter hoc loco notandum, MABILLONIVM male calculos subducere, dum a morte Ottonis II. annos imperii numerare Theophaniam sibi persuadet, quum tamen ab anno 972., quo coniugium cum Otone II. inierat, annus XVIII. ageretur. Ceterum illud Theophaniae singulare plane fuit, et rarissimum huius moris Augustis vitari exemplum, praeterquam quod etiam Adelheidis, Reginae Franciae, et Ludouici VI. Regis coniugis, annos regni, iuxta annos regni mariti in diplomatibus numerati advertamus, quale exhibet idem MABILLONIVS de *Re Diplomatica*, Lib. VI. p. 595. Add. Idem Lib. IV. p. 245.
- 12) Apud LVD. ANT. MYRATORIVM, Tom. II. *Script. Rer. Ital.* p. 484.
- 13) In *Doctrina Iuris Publici* Lib. I. Tit. XVI. §. 2.
- 14) Apud DITMARVM, Lib. VI. p. 380.
- 15) AVCTOR VITAE MATHILDIS, Cap. III. §. 15. 16. p. 199.
- 16) Diploma, quo Otto I. hanc dignitatem Abbati S. Maximini confert, exhibuit NIC. ZYLLESIVS in *Defens. Abb. S. Maximini P. III. n. XI.* Ceterum Reginas Francorum primae stirpis iam proprios habuisse Maiores Domus, Cancellarios, ac Referendarios, probat IO. NIC. HERTIVS in *Notitia Regni Franc. Vet.* Cap. III. §. 21. add. IO. MAELLONIVS de *Re Diplomatica*, Lib. 2. Cap. XI. §. 3.
- 17) DITM. Lib. VI. pag. 393.

## §. XVIII.

Quae in hac rerum Periodo Electionis forma fuerit, inuestigare eo magis conuenit, quoniam diu creditum, Ottonem III., auctore aut certe suafore Gregorio Papa, ius eligendi septem illis Principibus assignauisse, qui inde Principum Electorum titulo super ceteros se extulerunt. De Conradi I. et Henrici electione tenuis apud scriptores noticia. Sed de Ottonis I. electione clariora iam vestigia. 1) Nondum certus aliquis locus ei-

*Electionis forma.*



adsignatus. Henricus Fritislariae electus. Post eius obitum, quum instituenda esset electio, ex Procerum iudicio Aquisgranum indicta sunt comitia. 2) De Ottone II. iam supra obseruauimus, illum primo Vormatiae, deinde et Aquisgrani designatum fuisse Regem. 3) Singularis prorsus fuit Henrici II. electio, qui singulas prouincias adiit, atque a Populis Rex agnitus fuit. Atque hanc Henrici S. et deinde Conradi Salici electionem inuentibus, sponte se prodit opinionis de ortu Collegii Electoralis, quam supra adtigimus, vanitas. Circa ipsam formam electionis notamus, omnes quidem Proceres ad Comitia vocatos, sed aliquos ex utroque ordine Principes praerogatiuam habuisse. Atque ita Heribertus, Coloniensis Archi Episcopus, Henrico Duci, regnum ambientem, respondet apud DITMARVM, *se quo maior, et melior totius populi pars inclinaret, libenter adfersurum.* 4) Tum et pactum aliquod adiectum, quo Reges legem, et iura populorum, et quae alia optarent proceres, seruanda promittebant. Sic Henricus I., apud DITMARVM, *populo ad omnia, quae communi consilio expetiuisent, adfersurum se promissi:* 5) Et Henricus II., eodem teste 6) *Saxonibus pollicitus est, legem illorum non in aliquo corrumpere, sed clementer in omnibus adimplere etc.* Inter solemnia Electionis obseruamus, vniuersum populum, leuatis dextris, adclamasse electo Regi; Proceres autem fidem statim iureiurando dedisse: 7) Atque ita ex ipsa statim Electione ius regni manasse.

1) Loca ipsa Veterum Scriptorum, vt de hac electione plenius constet, hic proferre operae pretium fuerit. AVCTOR VITAE MATHILDIS, Cap. II. p. 196. *Henricus ad Erfordiam cunctos Principes regni conuenire praecipit, vt se inuicem coadunarent, quem suorum filiorum Regale solium possidere eligerent.* Ex quo explicandus VITICHINDVS Lib. I. Ann. p. 641. qui Henricum designauisse filium suum Ottonem Regem refert. Post mortem Henrici indoles relictae posteritatis Principes certos voluntariae electionis fecit, vt scribit DITMARVS Lib. I. Ann. p. 328. Nihilominus, vt AVCTOR VITAE MATHILDIS p. 197. narrat, *Ductores primi post excessum Henrici Regis conuenerunt, et de statu regni consilium habuerunt. Per plures diiudicabant, Henricum (secundo-genitum) regno potiri, quia notus esset in aula Regali; alii vero desiderabant,*



derabant, Ottonem Principatus possidere honorem, quia aetate esset maior, et consilio providentior; huic etiam Sceptrum regiminis concesserunt.

- 2) VITICHINDVS Lib. II. Ann. p. 642. Defuncto Henrico omnis populus Francorum atque Saxonum iam olim designatum a parte filium eius Odonem elegit sibi in Principem. Vniuersalisque electionis notantes locum iusserunt esse ad Aquisgrani Palatii.
- 3) CONTIN. REGINONIS ad a. 961. p. 80. Otto II. Vormatiae consensu et unanimitate Regni procerum, totiusque populi Rex eligitur: Indeque progrediens conuenientia quoque, et electione omnium Lothariensium Aquis Rex ordinatur.
- 4) DITMARVS Lib. IV. Ann. p. 358.
- 5) Id. Lib. I. p. 325.
- 6) Id. Lib. V. p. 368.
- 7) VITICHINDVS Lib. II. Annal. p. 637. Duces, ac Praefectorum Principes cum cetera Principum, militumque manu, congregati in Sistorio, basilicae Magni Caroli cohaerenti, collocarunt nouum Ducem in solio ibidem constructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamque suam contra omnes inimicos spondentes, more suo fecerunt eum Regem.

§. XIX.

Circa Coronationem singularem visum est nobis, quod DITMARVS de Henrico I. refert, illum per modestiam, inungi noluisse. 1) Sub eo Rege quum Lotharingia adferta esset Germaniae, nemo mirabitur, Ottonis I. uti electionem, ita et coronationem peractam Aquisgrani, in qua vrbe, Regia Caroli M. tanquam ARCHISOLIUM REGNI, uti WIPPO adpellat, colebatur. Neque dubium, quum illa vrbs in Prouincia Metropolitanam Colonienfis sita sit, eum praecipuo aliquo iure vnctionem Regalem sibi vindicatum iuisse. In coronatione Ottonis tamen illud nondum pro euicto habitum. Sed oborta inter Vigbertum Coloniensem, et Ruodbertum Treuirensis lite, quum neuter alteri concederet, Hildebertus Moguntinus Regem vnxit. 2) Otto II. et III. itidem Aquisgrani coronati sunt; Henricus II. Moguntiae: quod Heriberti, Archi Episcopi Colonienfis, simulatam aduersus eum auxit. 3) Imperialis

De Coronatione.



perialis coronatio Romae eodem ritu peragebatur, qui tempore Carolingorum in vſu fuerat, in quo poſtea demum mutata ſunt nonnulla, prouti hodie in Ceremoniali Romano leguntur. 4) Quae de Henrici S. coronatione Romana DITMARVS habet, locum hic omnino merentur: 5) *Henricus Rex inclytus a Senatoribus XII. vallatus, quorum ſex rasi barba, alii proluxa myſſice incedebant cum baculis, cum dilecta ſuimet coniuge Cunegunda ad eccleſiam S. Petri, Papa expectante, venit, et antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, ſi fidelis vellet Romanae patronus eſſe et deſenſor eccleſiae, ſibi autem ſuisque ſucceſſoribus per omnia fidelis, deuota profeſſione reſpondit, et tunc ab eodem inunctionem, et coronam cum contextali ſua ſuſcepit.*

1) DITM. Lib. I. Ann. p. 325. vbi illud maxime in Henrico reprehendit.

2) DITM. Lib. II. Ann. p. 331.

3) ADELBOVDVS in vita Henrici S. §. XII. p. 433. *Rex Dinsberg proferat. Occurrit Colonenſis Archiepiſcopus, ſed quanto ditior, tanto moruſtor. Erat inſuper cauſa dilationis Moguntiae accepta corona benedictionis.*

4) Vid. DNIPRAESIDIS Diſſert. de Regali Imperialique Auguſtorum, Auguſtarumque coronatione Cap. IV. §. 7.

5) DITM. Lib. VII. p. 400.

§. XX.

*De inſignibus  
Regni et ſigil-  
lis.*

Inter Regni inſignia, quae Regia in coronatione ſolemnis ritu tradi ſolebant, 1) celebrantur apud huius aevi ſcriptores Corona, 2) ſceptrum, gladius, lancea, 3) etc. Henricus I. lanceam, quae *Dominica* vulgo vocatur, quoniam fama erat, clauos ex cruce Seruatoris illi inſertos, a Rudolpho, Burgundiae Rege, pro maximo munere accepit. 4) Haec, veluti pignus aliquod imperii, tam in expeditionibus, quam ſolemnibus diebus, vt plurimum ab Epifcopo, ante Imperatorem ferebatur. Nonnulli globum Imperialem a Benedicto VIII. primum Henrico II. inter ſolemnia coronationis traditum narrant. 5) Sed ille



ille iam antea in Regum insignibus conspicitur. In exercitu Angeli Imago, veluti praecipuum militiae signum, ante Regem ferebatur, 6) eaque effigie Michaellem Archangelum indicatum, cuius cultum a Graecis Franci, Teutonesque acceperint, Viri Docti conieciarunt. 7) Aquila vero non tam Regni Germanici, quam Imperii Romani insigne fuisse videtur, atque vna cum illo inter telleras dominationis etiam in Germania recepta, vti inuunt, quae **DITMARVS** de aquila sub **Otone II.** in **Aquisgranensi Palatio** posita, refert. 8) Neque in sigillis, quot quidem haecenus producta fuerunt, aquila adparet; mox tamen post haec tempora a **Conrado II.** adhibita fuit, vti in sigillo apud **BECMANNVM** conspicitur. 9) In huius acui sigillis potius, quae pro rerum grauitate vel ex solido auro, vel plumbo, aut cera confata sunt, 10) imagines Regem exprimebantur, quales plures **MABILLONIVS**, **HEINECCIUS**, **BECMANNVS**, aliique exhibuerunt. Sigilla aurea ab **Otonis III.** temporibus magis frequentari coeperunt. **Henricus II.** primus maioribus illis sigillis (vulgo Maieftatis vocant,) vsus est, in quibus coronatus, insidens throno, dextraque baculum, sinistra globum gestans conspicitur. 11) Idem sigilla percussa, hoc est in recta et auersa parte percussa, quoque adhibuisse legitur. 12)

- 1) Ita in coronatione **Otonis I.** vt **VITICHINDVS** Lib. II. Ann. p. 642. scribit, *Hildebrandus* (Archiepiscopus) *accedens ad altare, et sumpto inde gladio, conuersus ad Regem: Accipe, inquit, hunc gladium, quo eicias omnes Christi aduersarios deinde sumptis armillis, ac chlamyde, induit eum. Exinde sumpto sceptro, baculoque: His signis, inquit, monitus paterna castigatione subiectos corripias.*
- 2) Coronam Germanici Regni ita describit **LUITPRANDVS** Lib. II. Cap. VII. quod non auro, quo cuiuscunque ordinis pene Principes polent, verum gemmis pretiosissimis non solum ornata, sed grauata fuerit.
- 3) Lanceam aliquam iam **Conradi I.** tempore inter insignia Imperii fuisse ex **VITICHINDO** Lib. I. Annal. p. 636. colligas. Namque **Conradus** ita apud eum fratrem **Eberhardum** alloquitur: *Sumptis his insigniis, lancea sacra, armillis aureis cum chlamyde, et veterum gladio Regum ac diademate, ito ad Henricum etc.*
- 4) De ea **LUITPRANDVS** Lib. IV. Cap. 12. et paulo plenius **GEBERTVS GEMBLAC.** ad a. 929. *Lanceam mirandi operis, es*



- clavis IESV CHRISTI crucifixi sanctificatam, quae dicitur primi et Magni Constantini fuisse, donatam Rudolpho Regi Burgundionum et Italiae a Samsone Comite, Rex Henricus (Auceps) precibus, minis, numeribus, addita etiam parte provinciae Suedorum, a Rudolpho extorquet, et hanc ad insigne et tutamen Imperii posteris relinquit. Et haec eadem est, quam CHRONOGR. SAXO ad a. 940. p. 157. memorat: Giselbertus sociis Regis congregitur, Rege interim in alio Rbeni littore, ante clausos Domini LANCEAE SVAE infixos in orationis prostrato.
- 5) Induxit illos locus GLABRI RODVLPHI, Lib I. Cap. V. p. 10. (Benedictus VIII) insigne praecipit fabricari, quasi aureum pomum, atque circumdari per quadram pretiosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream crucem inferi. Erat autem instar speciei huius mundanae molis videlicet in quadam rotunditate consistere perhibetur. Quumque postmodum praedictus Papa, Imperatori videlicet Henrico huius rei gratia Romanam obuiam processisset ex more, ei huiusmodi insigne scilicet Imperii in conspectu totius Romanae plebis tradidit.
- 6) VITICHINDVS, Lib I. Ann. p. 642. Milites Imperatorum in primis, mediis, et vltimis versantem videntem, coramque eo Angelum, (hoc enim vocabulo effigieque signum maximum erat insignitum,) acceperunt fiduciam. Et Lib. II. Ann. In quinta legione, quae erat maxima, ET DICEBATVR REGIA, ipse Princeps vallatus lectis ex multis milibus, alacrique inuentute, coramque eo Angelus, penes quem victoria, densa agmine circumseptus.
- 7) Conf. IAC. BASNAGIVS in *Histor. Eccles.* Lib. XXI. Cap. II. p. 1248. et NIC. HIER. GVNDLINGIVS in *Henrico Aucope* p. 225. seqq.
- 8) DITMARVS Lib. III. Ann. p. 3435. Imperator omni studio ordinavit expeditionem suam aduersus Lotbarium, Regem Karolingorum, qui in Aquisgrani palatium, et sedem Regiam, nostram semper respicientem dominium, valido exercitu praesumpsit inuadere, sibi que VERSA AQVILA designare. Haec stat in orientali parte Domus, morisque fuit omnium hunc locum possidentium, ad sua eam vertere regna.
- 9) Apud IO. CHRIST. BECMANNVM *Hist. Anhalt.* Part. IV. Cap. III. p. 518.
- 10) Ita PETRVS DIACONVS in *Chronico Casinensi*, Lib. IV. Cap. 109. ubi coram Lothario Imperatore prolata dicuntur praecepta Imperatorum trium Ottonum, quinque Henricorum, et Conradi, quae Casinensi monasterio fecerant, cera, plumbo, aureisque sigillis signata, add. IO. MABILL. de *Re Diplomatica* in *Supplem.* Cap. XI.
- 11) Est obseruatio IO. MICH. HEINECCII in *Libro: de Veteribus Germanorum, aliarumque nationum sigillis.* Part. I. Cap. IX. §. 7. p. 78.
- 12) Talia IO. MABILL. l. c. Lib. II. Cap. XVI. §. 17. p. 142. ex plumbo tantum confecta, HEINECCIVS vero l. c. Cap. XVI. §. 1. p. 109. ex cera conflata putat. Forte ex vitroque confecta fuerunt.



## §. XXI.

In ipso Regno administrando summa quidem Regum auctoritas, sed vbique succincta Principum consilio, tam in Pace, quam in bello. Quod vti omnis historiae series docet, ita hic tantum nonnulla capita eius, et praesertim Palatii ac Regni officia illustranda sumimus. Habebant Reges Palatia per singulas Regni Prouincias, quas ad continendos populos continuo obire solebant. Quae pompa introitum illorum in vrbes excipere moris fuerit, ex DITMARO colligi potest, qui *accensis luminaribus, sonantibus campanis, comitatuque magno sacerdotum, Ducum ac Comitum exceptos* fuisse refert. 1) Splendor aulae Regalis praecipue effulgebat, quum solennes curiae, in maioribus Principum conuentibus haberentur, eodem apparatus iisdemque institutis, quae in Caroli M. Palatio vigerant. In processione solemnibus Reges *veste Francica* induti procedebant: Principes vero, festiuis ornati togis, insignia, et arma praeferre solebant. Interdum et exteri Principes ea detulerunt, veluti de Bolezlauo, Polonorum Duce, DITMARVS refert, 2) quod in curia, Merseburgi habita, Henrico II. Regi, *ad ecclesiam ornato incedenti, armiger habitus* fuerit. Ceterum Otto I. primores et amicos mensae Regali adhibuit, 3) etiam in hoc Carolum M. imitatus, qui, teste EGINHARDO, cum Proceribus et amicis accumbere consueuerat. Sed haec Otto III. immutauit, et ex Byzantinae aulae institutis, vti erat moris Graecorum, a quibus maternum genus ducebat, studiosissimus, 4) induxit, vt Imperator solus accumberet, ac loco ceteris eminentiori federet. Quam nouitatem Germanis Principibus admodum displicuisse DITMARVS notauit. 5)

1) DITMARVS Lib. II. *Annal.* p. 337. vbi non tantum Imperatorii aduentus pompam, sed et Herimanni Ducis honores Regi alias proprios, et praeter morem ab Archi-Episcopo Magdeburgensi ipsi exhibitos describit.

2) IDEM, Lib. VI. p. 397.

3) VITICHINDVS, Lib. II. *Annal.* p. 645.

4) Ipse Otto III. in Epistola ad Gerbertum, n. CLIII. EPISTOL. GERBERTI



BEKTI p. 689. nimium Graeci nominis cultum ita declarat: *Volumus vos Saxoniam rusticitatem abhorreere, sed Graecicam nostram subtilitatem ad id studii magis vos prouocare.*

5) DITM. Lib. IV. *Annal.* p. 357. Henricum III. tamen in Italia Bonifacium, Marchionem Tusciae, et Valuasorem quoque eius, Vice-Comitem Mantuanum, Regali mensae adhibuisse scribit DONNIZO in *vita Mathildis*, Lib. I. cap. 13.

## §. XXII.

*De Archi-  
Capellano.*

Inter officiales Palatii primus celebratur Archi Capellanus, qui Sacris in Aula praeerat, 1) de omnibus rebus ecclesiasticis ad Regem delatis respondebat; et praeterea etiam diplomatum Regiorum curam gerebat, annulumque Regium, 2) aut quod forte aliud sigillum in usu erat, seruabat. Utque de veritate munificentiae cuiuslibet Regiae certius constaret, ab ipso quamlibet maioris momenti chartam recognosci; et annulo Regali signari, 3) aut sigillo vel imagine muniri necesse erat. Inde nomina Archi Capellani et Archi Cancellarii promiscue hoc aevo vsurpantur. 4) Rarius quidem ipsi chartas recognoscere solebant; sed potius vice ipsorum Cancellarii. 5) Ceterum non semper Archi Episcopos et Episcopos, sed etiam Abbates quandoque huic muneri admotos fuisse satis constat. Inprimis memorabile, quod AVCTOR VITAE MATHILDIS refert, 6) Brunonem, etiam ante Archi Episcopatum Coloniae, a fratre Ottone Archi Capellanum creatum fuisse. Idque et diplomata confirmant, ante annum DCCCCLIII., quo Coloniensi Ecclesiae praefectus fuit, ipsius vice recognita. 7) Quo insignius itaque hoc officium habebatur, eo maiori studio praecipui Archi Episcopi illud ambiebant, donec Moguntini, qui iam ob primae in Germania sedis dignitatem in regno magna florebant auctoritate, ne eos alius forte in Palatio antecederet, proprium atque perpetuum sibi adseruerunt.

1) Data opera hoc argumentum erudite tractauit VINC. TVRTVRETVS, Siculus, in *Sacello Regio, sive de Capellis et Capellanis Regum*, Cap. III., vbi inter alia ostendit, Archi Capellanos primum locum etiam in Conciliis tenuisse.



- 2) Ad munus Cancellarii specauisse custodiam annuli Regalis, patet ex VITA B. ANSEERTI p. 696. apud FRANC. LANOVIVM de Sanctis Franciae Cancellariis, edit. WENCKERI, ubi de Ansberto: *Coepit esse aulicus scriba doctus, conditorque regaliu privilegiorum, et gerulus annuli Regalis, quo eadem signabamur privilegia.*
- 3) Hinc illae formulae in diplomatis adhuc Ottonum solennes fere atque frequentes: *annuli nostri impressione iustinus signari*, ut patet ex diplomatis apud WIG. HVNDIVM in *Metrop. Salisb.* Tom. I. p. 90. 240. etc. CHRISTOPH. BECMANNVM in *Historia Anhaltina* P. III. Lib. I. p. 167. et 168. AVB. MIRAEVM in *Col. Donationum Piarum* p. 14. 15. seqq. et omnibus fere Henrici I. atque Ottonum chartis.
- 4) Exemplum Willegisi Archi-Episcopi Moguntini hoc loco adlegasse suffecerit. Qui in chartis modo Archi-Cancellarii, modo Archi-Capellani elogio insignitur, ut liquet ex diplomatis anni 1002. apud HVNDIVM Tom. I. p. 95. Distincta tamen interdum, certe in Palatio Italico, fuisse Archi-Capellani et Archi-Cancellarii munera, iam observavit S. M. FRIDR. HAHN in der *Deutschen Reichs-Historie*, P. I. p. 204. not. X.
- 5) Exstant tamen diplomata ab ipsis Archi-Capellanis recognita. Ita ex gr. P. MEVRISSE dans *l'histoire de l'Evêché de Metz*, p. 304. exhibet diploma ab ipso Brunone Cancellario et Archicapellano subscriptum. Aliud ab Aribone, Archi-Episcopo et Archi-Cancellario a. 1024. recognitionem dat. WILH. HEDA in *Historia Episcoporum Ultraiectionum*, p. 284.
- 6) AVCTOR VITAE MATHILDIS, Cap. II. §. II. p. 197. *Brunonem fratrem Otto I. adiunxit sibi per amorem fraternitatis in ministerium Archi-Capellani. Addi meretur exemplum Willegisi, quem, quia, ingenio, doctrina, et virtute pollebat, primo Archi-Capellanus Ottonis II., postmodum Archi-Episcopus Moguntinum factum esse NIC. SERARIUS scribit, *Res. Mogunt.* p. 714.*
- 7) Ita omnia fere Diplomata anni 952. vice Brunonis Archi-Capellani subscripta reperiuntur, qualia produxerunt IO. MABILLONIVS de *Re Diplomatica*, Lib. II. Cap. XI §. 10., NIC. SCHATENIVS, Tom. I. *Annal. Paderb.* p. 295. 297. alique plures. Neque iam opus cum BERNHARDO MALLINKROTIO in *Libr. de Archi-Cancellariis Sacri Rom. Imperii* p. 264. apud IAC. WENCKERVM in *Collectis Archiepi*, mendum in numeris annorum suspicari.

§. XXIII.

Interdum plures Archi-Capellani vno eodemque tempore extitere. Namque sub Henrico I. et Ottone M. Rotgerum, et Rodbertum, Archi-Episcopos Treuirenses, in pluribus chartis Archi-Cancellarios nominatos legimus, eodem

Plures Archi-Capellani eodem tempore, sub Henrico, et Ottone I.



eodem tempore, quo Herigerus, Hildebertus, et Fridericus, Moguntini Praefules eo fungebantur officio. 1) Imo a. DCCCL. Fridericus, et Rodbertus antedicti, et praeterea Heroldus Salisburgensis, 2) et Wigfridus Colonienfis, 3) Archi Capellani in diplomatibus insigniuntur. Illa res mire exercuit Doctorum virorum coniecturas. 4) Sed siue iam illi per regna aut prouincias partiti inter se munus, siue per vices illo functi fuerint, siue denique ex singularibus regni Ottonis I. circumstantiis 5) res tota explicanda sit: Verisimillimum certe videtur, Lotharingiam sub Henrico et Ottone proprium habuisse Archi Capellanum, 6) quemadmodum et Italiam habuisse supra obseruauimus. 7) Addimus hic locum HERMANNI CONTRACTI, rem omnem insigniter illustrantem, qui Henricum III. Imperatorem *Rauennati Ecclesiae Hunfridum CANCELLARIUM SVVM IN ITALIA; Constantiensi Theodoricum*, PER ALIAS Prouincias CANCELLARIVM SVVM, praeposuisse refert. 8) Illud praeterea obseruauit, hoc tempore in expediendis, recentendisque diplomatibus non tam regni, in quo versaretur, Imperator, habitam rationem, quam regni, ad quod spectaret negotium, adeoque Archi Cancellarii Italiae tabulas de rebus Italicis coniectas in Germania recognouerunt, vti vicissim Archi Capellani Germaniae tabulas Germanicas in Italia. 9)

x) Obseruauit illud iam DN. PRAESES in Dissert. de *Originibus Officiorum Aulicorum S. R. I.* §. X. XI. contra MALLINKROTIVM. Et certe Rogerus Treurenfis, qui iam ante Archi Capellanus in Lotharingia fuerat, idem munus sub Henrico retinuit. Quumque sub eodem Rege Herigerus, et post eum Hildebertus, Moguntini, Archi Cancellarii in diplomatibus apud SCHATENIVM I. c. et IO. FRIDR. SCHANNATVM in *Historia Fuldensi* occurrant: Non poterunt haec aliter conciliari, quam Moguntinos in Germaniae Regno, Treurensem in partibus Lotharingiae Archi Capellanos fuisse. Sic et Rodbertus Treurenfis ab a. 936. ad annum vsque 953. in diplomatibus de rebus Lotharingicis, apud MIRAEBVM, BROWERVM, CALMETVM, HEDAM, CHAPEAVVILLIVM Archi Capellanus dicitur eodem tempore, quo et Fridericus Moguntinus, et post eum Bruno Colonienfis Archi Capellani essent.

2) Ad



- 2) Ad vicem Heroldi ArchiCapellani, qui tunc ArchiEpiscopus Saliburgensis erat, Bruno Cancellarius a. 950. diploma, Ecclesiae S. Emmerani Ratisbonensi concessum, subscripsit apud WIG. HVNDIVM Tom. I. *Metrop. Salisb.* p. 152.
- 3) Vice Wigfridi ArchiCapellani, et ArchiEpiscopi Coloniensis, Bruno diploma subscripsit, quod WILH. HEDA in *Hist. Episc. Vltrei*, p. 263. exhibet.
- 4) Vid. inprimis AVCTOR QVINQVERTII CAMERALIS, *Quaest. V.* §. 10. seqq.
- 5) Sic forte dici posset, Fridericum Moguntinum, quod Ludolpho, rebellis in Patrem, adhaesisset, priuatum ab Ottone M. munere ArchiCapellani fuisse, idque tum Brunoni datum.
- 6) Eadem de Lotharingia iam coniectauit CHRISTOPH. BROWERVS, *Annal. Treuir.* Tom. I. p. 456. et BERNH. MALLINKROTIVS l. c. p. 261.
- 7) Vid. supra §. XV., in quo etiam IO. MABILLONIYM consentientem hebemus, qui, quum in *Annalibus Ord. S. Benedicti Tom. IV. Lib. LIII. p. 234.* obseruasset, Henricum Cancellarium vice Euerardi Episcopi et ArchiCancellarii diplomata Henrici S. recognouisse, haecce scribit. *Ex his probatur id, quod alibi obseruauimus, scilicet alium fuisse Imperatoris in Italia, alium in Germania ArchiCancellarium. Nam in Germania Moguntinus ArchiEpiscopus, qui tunc Erkanbaldus erat, hoc munereungebatur: in Italia Euerardus initio Henrici Imperii.*
- 8) HERM. CONTRACTVS ad a. 1047.
- 9) Add. supra §. XV.

§. XXIV.

Qui sub ArchiCapellano cancellis praeerat, signandisque tabulis intendebat, hoc aeuo Cancellarius, praecipuo sensu, vocabatur. Hos postera aetas Cancellarios Imperialis aulae adpellauit. A Sigismundi Imperatoris potissimum tempore ViceCancellarii Imperii vocantur. Qui quum vices ArchiCancellariorum sustinerent, solemnii formula ad eorundem vicem se subscribere in calce cuiusque diplomatis profitebantur. Extant etiam diplomata huius aeuu, ad vicem Cancellariorum, ipsis absentibus a Notariis eorundem signata. 1) Equidem MABILLONIYS tradit, quando ArchiCancellarii munus vacaret, non subscripsisse Cancellarium; sed adiectam

De Cancellariis  
sive Vice  
Cancellariis.



fuisse in fine formulam *Data vacante Cancellaria*: 2) Verum inter monumenta Imperii Ottonum, quae MEIBOMIVS edidit, reperitur diploma, quod *Rudbertus Cancellarius ad vicem vacationis ArchiCapellani recognovit*. 3) Ceterum tam insigne hoc munus Cancellarii, (sive uti nunc vocatur ViceCancellarii) fuit, ut plerumque ex praestantissimis Palatii Clericis legeretur. Imo ad Episcopatus prouecti, Cancellarii tamen munus in Aula retinere. 4) Neque ArchiEpiscopi primarii id dedecere infulas suas rati sunt. Ita Egbertus, quum Treuirensis iam ecclesiae praeesset, illo functus fuit; 5) itidemque S. Heribertus, Colonienfis ArchiEpiscopus, Ottoni III. percharus. 6) Rigor enim veteris disciplinae, qui procul abesse volebat Clericos a Cancellis Regum, et causis seculi, iamdudum cesserat vtilitati, quae in rem ecclesiasticam ex eiusmodi muneribus redundabat.

1) Obseruauit MALLINKROTIVS l. c. p. 264.

2) MABILLONIVS de *Re Diplomatica*, Cap. XI. §. II.

3) Apud IO. HENR. MEIBOMIVM Tom. I. *Script. Rer. Germ.* p. 753.

4) Plures Episcopos, qui hoc aeuo in Imperio vtroque munere functi fuerunt, data opera nouissime recensuit Celeberr. IVSTVS HENNINGIVS ROEHMERVS Dissert. de *Episcopo ViceCancellario Imperii*, Cap. III. §. 28. seq. Exempla ArchiEpiscoporum et Episcoporum, qui in regno Francorum occidentalium et in regno Burgundico Cancellarii munus obtulerunt, notat FRANC. DU CHESNE in *Historia Cancellar. Galliae* p. III. sq.

5) Egbertum, qui ubi anno 978. ad annum vsque 993. ArchiEpiscopatum Treuirensis rexerat, Cancellarium fuisse iam MALLINKROTIVS obseruauit. Illud quoque praeter subscriptiones plurium diplomatatum refertur charta ipsius Egberti de a. 981. apud CHRISTOPH. BROWERVM Lib. X. *Ann. Treuir.* p. 485. seqq., in cuius subscriptione se ipsum vocat *ArchiEpiscopum, Primatem, et Cancellarium*.

6) Fuit S. Heribertus ArchiEpiscopus Colonienfis ab a. 999. ad a. 1021. Eum LAMBERTVS TVITIENSIS in vita eius Archicancellarium fuisse perperam refert. Constat enim ex Diplomatis an. 999. 1001. et 1007. apud MIRAEVM Tom. I. p. 148. et 263. MABILLONIVM in Append. ad *Annal. Ord. S. Benedicti*, Tom. IV. p. 694. HVNDIVM Tom. I. *Metr. Salisb.* p. 242. eum fuisse Cancellarium, et vice Willegisi ArchiEpiscopi Moguntini diplomata subscripsisse.

### §. XXV.

Sed et reliqua Archiofficia Palatina, Mareschalli, Dapiferi, Camerarii, Pincernae, qualia in aula Carolingica

De reliquis  
Archiefficiali-  
bus Palatii.



ca fuerant, durarunt; eaque obire Nobilissimi Principes ob adnexa illis iura, dignitatemque, honorificum existimarunt. Sic in coronatione Ottonis I, vt VITICHINDVS obseruat, 1) *Duces administrabant. Lothariorum Dux Gisilbertus, ad cuius potestatem locus ille (Aquisgranum) pertinebat, omnia procurabat. Eberhardus mensae praeerat. Hermannus Francus Pincernis; Arnulphus equestri ordini, et eligendis locandisque castris praeerat. De Curia solemnii, quam Otto III. Quedlinburgi celebrauit, DITMARVS. 2) Quatuor ministrabant Duces: Henricus ad mensam, Conradus ad cameram, Hecilo ad Cellariam, Bernhardus equis praefuit. Ex quibus simul patet Marefchalli officium, quod Arnulfus, Boioariae Dux, in coronatione Ottonis I. gesserat, Bernhardum Ducem Saxoniae sub Imperio Ottonis III. administrauisse, cuius successores perpetuum illud munus habuere. Locum etiam DITMARI, quo Hermannum, Sueviae Ducem, in curia Francofurtensi humiliter Regi (Henrico II.) famulatum scribit, 3) ad eiusmodi functionem Palatini ministerii referre possis. Mansionarii officium, vti describit HINC MARVS, 4) in eo maxime positum erat, vt tam actores quam et susceptores aduerteret, quo tempore ad eos, illo vel illo in loco Rex venturus esset, propter mansionum praeparationem, vt opportuno tempore praescire possent. Id illustratur ex cura, quam Otto Imperator Hattoni, Abbati Fuldensi, demandauit. Hic enim, vt ANNALISTA SAXO refert, 5) a Rege in Italiam praemittebatur ad paranda hospitua, et construenda habitacula. De officialibus, qui diurnum ministerium in Palatio Imperatorum procurauerunt, vnum tantum alterumque hic notasse suffecerit. Sic DITMARVS refert, 6) Ottonem I. Romae Ansfridum Comitem fecisse spataferium suum. In aula Ottonis III, vt ex charta quadam Farfensis monasterii, quam MABILLONIVS produxit, 7) perspicimus, floruerunt Gerardus, gratia Dei inclytus Comes, atque Imperialis militiae magister; Gregorius, excellentissimus vir atque Praefectus naualis; Gregorius, vir clarissimus;*

Officio Regis  
De Ducibus  
Regis Curiae  
nisi

Curiam  
Idem



rissimus, atque vestararius (f. Vestiarus) sacri Palatii; et Albericus, Palatii Imperialis magister.

- 1) VITICHINDVS, Lib. II. *Annal.* p. 643.
- 2) DITMARVS, Lib. IV. p. 349.
- 3) ID. Lib. V. p. 371.
- 4) HINC MARVS de ordine Palatii Epist. XVI. et XXIII.
- 5) Apud ECCARDVM Tom. I. *Script. Rer. Germ.* add. V. Cl. 10. FRIDR. SCHANNAT in *Historia Fuldenfi* P. III. p. 126.
- 6) DITM. Lib. IV. p. 354. Non minimam confusus in iuvene fecit eum Spataferium suum, dicens. Dum hodie ego ad Sacra limina Apostolorum perorabo, Tu gladium continuo super caput meum teneto.
- 7) Apud IO. MABILL. Tom. IV. *Annal. Ord. S. Bened.* Lib. LI. p. 129.

## §. XXVI.

Officia Regni.  
De Ducibus  
Regni Germaniae.

Quomodo provinciae se invicem habuerint, quae mediate aut immediate sub Regno fuerint, hoc loco excutere non vacat. Neque enim ipsa provinciarum formula semper eadem fuit. Animus potius est, officia illa recensere, in quibus iuxta Regem praecipua regendae Reipublicae auctoritas. In his Duces primum potentiae, et dignitatis locum tenuere. De iis (quum ipsam de Ducibus et Ducatibus Germaniae tractationem nunc non suscipiamus,) paucas tantum observationes, veluti per futuram, proferre liceat. Nimirum non vno sensu Duces hoc aevo occurrunt. Alii militare imperium vnice habuerunt. Talis Gero, Dux et Marchio, in Slaucis terris, fuisse videtur. 1) Alii veluti Praefides, seu Praefecti Regum vices eorum in vniuersa provincia sustinebant. 2) Alii denique non vt officiales, et Praefides, sed vt domini provincias, populosque rexere. Ipsi tamen feudali, ceu, vt veteri curiae stilo proferre fas fuerit, militari vinculo Regibus obnoxii: Quales iam olim sub primae stirpis Regibus fuerant Duces Alamannorum et Boioariorum. Atque tales Prouinciae dicuntur mediatæ: Quoniam scilicet magistratus, leges, iudicia, tributa, bellique auspicia a Duce acciperent; quae in reliquis provinciis immediate a Rege constituebantur. In provinciis summus Ducis honos: Quem tamen in Saxonia



xonia temperandum censuit Otto, de quo memorabilis est locus DITMARI. 3) Ceterum iam hoc aevo fieri potuisse, ut DUX plures teneret Ducatus, exemplum Ottonis, Ludolphi filii, docet, Bauariae, et Alemanniae Ducis. 4)

- 1) Vid. supra §. IV. Eodem elogio etiam Theodoricus, eius successor, insignitur apud DITMAR. Lib. III. Ann. p. 345. et CHRONOGR. SAX. ad a. 982. p. 195.
- 2) Ipse Otto M. in literis apud VITICHINDVM Lib. III. Annal. p. 661. Duces Saxoniae Praefectis adnumerat: Otto Imperator Augustus Hermanno et Theodorico Ducibus, ceterisque publicae rei nostrae Praefectis.
- 3) DITM. Lib. II. p. 337. describit, qua ratione Hermannum, Saxoniae Ducem, exceperit Archi Episcopus Magdeburgensis: *Interim Herimannus Dux Saxoniam regebat, postquam ad Magdeburg concione, susceptus est ab Archi Episcopo, manumque deducitur ad ecclesiam, accensis luminaribus, cunctisque sinantibus campanis.* Quod ubi Otto accepit, Archi-Episcopo per epistolam mandavit, ut tot sibi equos mitteret, quot Duci campanas sonare, vel quot lucernas accendi praeceperat.
- 4) HERM. CONTR. ad. a. 978. Ducatum Baiariae Otto Dux Saeuorum cepit. Vtroque titulo etiam in diplomatibus insignitur, ap. MABILL. de Re Diplom. p. 375. et Tom. IV. Annal. Ord. S. Bened. Lib. XLIX. n. 14. pariter ac apud HVND. Tom. III. Metr. Salisb. p. 273.

§. XXVII.

Comites Palatinos hic nomino, quia Reges per provincias, uti Palatia, ita etiam Comites Palatinos plures habuerunt. Eorum officium HERTIVS satis accurate describit: 1) *Quod vicem Caesaris praesidendo functi, fidem Imperatoris implorantibus adfuerint, iusque (secundum cuiuslibet populi leges) reddiderint: et insuper fiscum, Augusti praedia Salica, reditus Regios procurauerint, Ducibusque veluti a latere collocati fuerint, adeo ut nihil citra eorum auctoritatem Ducibus decernere, aut statuere licuerit; et si eorundem praecepta displicuissent, intercesserint ipsi, et ad Regem retulerint.* In Lotharingia maxime inclaruit Ezo; quem MONACHVS BRAVVILLERENSIS Comitem Palatii Aquisgranensis vocat, et Regalis Palatii apicem IVRE PATERNI SANGVINIS gubernasse scribit. 2) In Bauaria, uti EXRVOTGERO discimus, 3) *Arnoldo, strenuo viro, summa rerum iuxta Ducem commissa fuit:* Eumque

De Comitibus Palatinis.



que GERARDVS in vita S. Vdalrici, *Bavariae Palatinum Comitem*, diferte adpellat. 4) Saxoniae Comites Palatinos Thiedricum, Fridericum, et Burchardum DITMARVS memorat sub Ottone III. et Henrico. II. 5) Hermannus et Deodoricus, Palatini Comites, nominantur in Diplomate Ottonis III. de a. DCCCCXCIII., quod exhibuit EC-CARDVS. 6) Adelberonis, Comitis Palatini, memoriam feruauit TANGMARVS in vita S. Bernvardi. 7) Et quid si Sigfridum, Geronem, ipfumque Hermannum Billungum, (quae est ILLVSTR. GRIBNERI coniectura, 8) in hanc feriem referas?

- 1) In Dissert. *De Origine et Progressu specialium R. G. Imp. Rerumpublicarum*, §. VII. p. 22.
- 2) MONACHVS BRAVVILLER: Cap. I. p. 314.
- 3) RVOTGERVS in *Vita Brunonis*, p. 279.
- 4) GERARDVS in *vita S. Vdalrici* Cap. X. §. 36. p. 436. add. GYNDLINGIANA P. XXI. p. 23.
- 5) DITM. Lib. IV. p. 352. et Lib. VI. p. 368. et 388.
- 6) In *Historia Genealogica Principum Saxoniae Superioris* p. 188.
- 7) TANGMARVS in *Vita Bernvardi*, Cap. I. p. 441.
- 8) In Dissert. *de iuribus Palatinatus Saxonici, Duci Electori propriis*. §. V. inter Opusc. Tom. III. p. 7.

### §. XXVIII.

*De reliquis  
Regni Offi-  
cialibus: Comi-  
tibus, Vice-  
Comitibus,  
Castellanis,  
Missis Domi-  
nicis.*

Praeter Duces, Comitesque Palatinos, et Marchiones, Comitum officium praecipue in Prouinciis viguit. Illi iuri dicundo operam dabant, praesidebantque iudiciis. Et de maioribus quidem causis ipsi cognoscebant: minores relinquebant centenariis. Praeterea et delectus agere, et clientes in bellum educere ad officium illorum spectabat. Iam hoc aeuo Comitatus plerumque continuatos in filius, innumera docent exempla. 1) Inde et plures Comitatus cumulati. Ita apud DITMARVM celebratur Ansfridus, *quindecim Comitatum Comes strenuus*. 2) Vice Comites vocantur, qui aut pro Comite, aut Episcopi vice, iurisdictionem exercebant. 3) Occurrit quoque hoc aeuo nomen Castellanos. 4) Quo titu-  
lo



io designantur Comites, castris tuendis impositi, quos alibi Burggrauios adpellatos inuenimus. Interdum et Castellatorum nomen ipsos milites qui praesidium agerent in castris, denotauit. Missi Dominici sub Francis saepe occurrunt, quorum erat in officialium regni administrationem inquirere. Eorum raram mentionem faciunt huius aevi scriptores, et fere in rebus Italicis tantum. Ita Berardus et Theodinus Comites, Missi Henrici I. Imperatoris in *Placito Baluensi* decreto adfuisse memorantur. 5) Alii missi eiusdem Imperatoris occurrunt in charta Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum, 6) ex qua praecipue haec verba notari merentur: *Dum essenius Nos Leo, Episcopus Vercellensis, et Einricus Episcopus Marmensis, et Adericus Castaldeus, et Iudice, praedicti Missi a praedicta potestate Serenissimi Einrici Augusti, in territorio Beneuentano ad unicuique hominum audiendas, iudicandas, et definiendas causas etc.*

1) Iam sub Francorum Imperio filii rarius Comitibus patrum priuabantur. Imo Carolus Caluus in Capitulari apud Carisiacum de a. 877. apud ST. BALZIVM Tom. II. Capitul. p. 270. expresse constituerat: *Si Comes obierit, filium autem parvulum habuerit, filius noster cum ministerialibus ipsius Comitatus, et Episcopo, in cuius Parochia consistit, eundem Comitatum praecideant, donec obitus praefati Comitis ad nostram notitiam perueniat, et ipse filius eius per nostram concessionem de illius honoribus honoretur.* add. IO. MABILL. in Praef. *Annal. Ord. S. Bened. Sec. V. num. 133.*

2) DITM. Lib. IV. *Ann. p. 354.*

3) Horum nomina saepissime in diplomatibus huius aevi occurrunt, vid. Diplomata apud ECCARDVM in *Hist. Geneal. Principum Saxoniae*, p. 132. et HUNDIVM Tom. II. *Metr. Salisb.* p. 15. add. ANT. DAB. ALTESERRA de *Ducibus et Comitibus* Lib. I. Cap. IV. pag. 20.

4) Valfrodus Castellanus subscripsit Diplomati de a. 1022. ap. CAEMETVM *Hist. Lotbar.* Tom. I. inter Probat. p. 400. Eos ut plurimum vicarios Comitum fuisse, probat FLORIS VANDER HAER des *Chassehains de Lille*. Lib. I. Cap. VII.

5) Vid. CHRONICON VULTURNENSE apud MYRATORIVM Tom. I. P. I. *Script. Rev. Ital.* p. 499.

6) *Ibid.* l. c. p. 500.



## §. XXIX.

De *Vrbibus.*

Vrbes, quae Ducibus aut Comitibus suberant, PRAEFECTORIAE dicebantur, et saepius in huius aevi chartis a REGALIBVS, siue REGALIBVS FISCI, quae ab antiquissimis temporibus regno immediate subiectae erant, distinguuntur. 1) Ita Francofurtum ad Moenum REGIA CIVITAS et sub Francis et hoc aevo celebrabatur: 2) Goslarium Henr. II. amavit, ibique Palatium condidit. Selzam urbem Adelheidis Augusta coluit, ac LIBERTATE ROMANA donavit. 3) Ex Praefectoriis vero, quod Duces Comitesque plerumque nimis severe populos tractarent, plures Episcopis commendatae fuerunt, ex quo tunc temporis species LIBERTATIS aestimabatur. Ita ADAMVS BREMENSIS scribit, Adaldagum Archi Episcopum, qui Ottoni M. in primis carus fuit, impetrasse ab Imperatore, ut sibi vrbs commendaretur, eamque ideo vocat LIBERTATE DONATAM. 4) Eadem ratione idem Imperator Brunoni, Colonienfi Archi Episcopo, Coloniam; Wilhelmo Moguntino Moguntiam; Episcopo Spirensi Spiram; Mindensif Mindam, concessit. 5) Ita et DITMARVS, ubi retulit, Ottonem Ducem, (Vormatiensem vulgo vocatum) Burcardo Episcopo iure suo in urbem Vormatiam cessisse, addit, eam tunc incepisse LIBERTATE SVA LAETARI. 6) Nimirum ipsae vrbes hac ratione ad regnum pertinebant, et Episcopi tantum vice Regum iura regni in iis administrabant. Et sunt, qui ipsam distinctionem ciuitatum Imperii in *Imperiales liberas*, et *Imperiales simpliciter dictas*, hinc reperendam putant. 7) Ceterum in excolendis vrbibus, earumque dignitate amplianda Henrici Aucupis studium maxime celebratur. 8) Verum iam ante haec tempora, et nunc quoque ab Henrici I. aevo, plures ingenui in vrbibus morabantur: adeoque non mirum, tam splendidae imaginum series inter Patricias gentes ab antiquissimis temporibus in vrbibus Imperialibus reperiri.

1) Inuenitur illa distinctio in charta Ottonis II. apud NIC. ZYLLESTVM in *Defensione Abbatiae S. Maximini* p. 27. et alibi passim. CONF. CAR. CANGIVS. in Glossar. voc. *Praefectoriae ciuitates*.



- 2) Francofurtum iam Carolingorum aevo praecipua dignitate floruerat. Ibi enim sedes Regia nonnunquam, et SACRVM AVLAE PALATI-  
 VM, vti PAVLINVS, Patriarcha Aquilegiensis, in *Libello Sacro-Syllabo*  
 vocat; de quo et MABILLONIVS de *Re Diplomat.* L. IV. p. 283. In AN-  
 NALIBVS FVLDENSIBVS ada. 865. VILLA REGIA, et REGINONI  
 REGIA CIVITAS dicitur. Ibi etiam hoc aevo Imperatores frequen-  
 tes morabantur. Quanta vero dignitate sequiori aevo fuerit, GVN-  
 THERVS in LIGVRINO docet. Ita enim ille, quum Proceres de  
 eligendo Friderico I. Francofurtum conuenisse referat

*Conueniunt Proceres, totius viscera regni,*

SEDE SATIS NOTA, rapido quae proxima Mogo

CLARA SITV, POPVLOQVE FREQVENS, MVRSIQVE  
 DECORA EST.

*Sed rade nomen habet: nam Teutonius incola dixit*

FRANCONEVRT.

- 3) ODILO CLVNAC. in vita Adelheidis. C. VII. p. 265. In loco, qui dicitur  
*Salsa, urbem decreuit fieri sub libertate Romana.*
- 4) ADAMVS BREM. Lib. II. Cap. 1. Adaldagus ArchiEpiscopus, primo  
 et ingressus est Episcopatum, Bremam, longo prius tempore potestate ac  
 iudiciaria manu oppressum, praeepto Regis absolui, et instar reliquarum  
 urbium? simulque libertate fecit donari.
- 5) Conf. praecipue ANT. FAGIVS in *Critica Historico-Chronol.* in *Ann-*  
*nal. Baronii.* Tom. IV. ad a. 988. p. 57.
- 6) DITM. in Prologo ad Lib. VI. Ann. p. 375.  
*Vrbs Vormacensis gaudet temporibus istis*  
 LIBERTATE SVA, cuius manebat in umbra.  
*Haecenus, atque Ducum fuerrat sub lege suorum. etc.*  
*Judices varios Clerus nunc deprimit illos.*  
*Annuit ista pius Otto Dux, atque benignus*  
*Munere Regali concessit abande teneri.*
- 7) IO. NIC. HERTIVS in *Dissert. de Specialibus Rom. Germ. Imp. Re-*  
*buspub.* §. VII.
- 8) VITICHINDVS Lib. I. p. 639. Henricus Rex accepta pace ab Vnga-  
 ris ad nouem annos, quanta prudentia vigilauerit in munienda patria  
 ---, supra nostram est virtutem edicere. Et primum quidem ex agrariis  
 militibus nouum quemque eligens in urbibus habitare fecit, ut ceteris  
 consularibus suis oculo habitacula exstrueret, frugum omnium tertiam  
 partem exciperet, seruaretque. Ceteri vero oculo seminarent, et mete-  
 rent, frugesque colligerent nono, et suis eos locis reconderent. Concilia  
 et omnes conuentus atque conuiuia in urbibus voluit celebrari, in quibus  
 exstruendis diu noctuque operam dabant etc. Perperam nonnulli ex his  
 VITICHINDI verbis originem Patritiorum ab hoc demum tempore de-  
 ducere aditantur. Quae sententia nec ex loco DITMARI L. I. p. 327.  
 roboratur: Henricus Rex urbanos maiori gloria, quam haecenus habue-  
 rant, vel hodie habeant comprovinciales, honorat.



## §. XXX.

*De Statu  
hominum.*

Ipsam populi vniuersitatem si intueamur, praecipua erit de statu hominum quaestio. Siquidem leges veteres diuersum statum hominum in matrimoniis, iudiciis, testimoniis, poenis irrogandis, ipsoque adeo duello sollicitè distinxere. Sequemur hic ADAMI BREMENSIS testimonium, qui quadruplicem conditionem describit; 1) Nobilium, Liberorum, Libertorum, et Seruorum. 2) Nobilium nomine ipsi Principes continebantur. Liberi etiam homines, i. e. ingenui, in varias iterum species diuisi. In ipsa ingenuitate siue libertate, varii gradus censabantur. Praeterea varia occurrunt nomina, quae statum aduentitium magis videntur notare, quam naturalem: prouti aliquis in protectionem alterius, ministeriumque se dedisset, vt LEVDÉS, et apud Saxones LITI, atque ipsi MINISTERIALES, et IAMVNDLINGI. 3) etc. In quibusdam locis occurrunt LASSI, sed hi ipsi videntur Liberti esse. Seruorum status hoc aeuo adhuc adparet, quoad operas censumque, qualem TACITVS describit. 4) Vltimum in seruitute, secundum mores Germaniae, mancipium: Et hisce quidem Saxonice temporibus magnus illorum numerus, ex Slaus bello captis. 5) Slauorumque adeo nomen, origine sua tam illustre, seruum notare coepit. Denique adhuc addimus, eiusdem conditionis homines diuersis interdum apud diuersos populos nominibus venire, et quaedam occurrere cuilibet genti propria. Ita in chartis Ottonum in Italia confectis occurrunt ALDIONES, quo nomine in Italicis feudis designabantur, qui ministeriales in Germania audiunt. 6) In Langobardorum legibus species hominum glebae adscriptorum frequenter obuenit, *Masnade*, de quibus ILLVSTR. FONTANINVS commentatus est. 7)

1) ADAMVS BREMENSIS L.I.c.V. ex EINHARDO de aduentu, moribus, et superstitione Saxonum. Quaquam autem de Saxonibus loquatur, constat ramen, inter omnes populos Germanicos hanc diuisionem obtinuisse, idque probat CHRIST. THOMASIVS in *Origin. Feudalibus* §. XV.



- 2) Comes BOVLAINVILLERIVS apud Francos duos tantum fuisse status hominum adferit, *Nobiles et Seruos*: plurimumque huic opinioni indulget. Quem iure meritoque hac in parte reprehendit Auctor epistolae, quae inserta est *Commentariis Rei Literariae (Memoires de Literature et d'Históire.)* T. IX. P. I.
- 3) Occurrunt IAMVNDLINGI in charta Ottonis M. apud MEIBOMIVM, Tom. I. *Scr. R. G.* p. 740. ubi haec verba inprimis memoranda: *Si vero aliquis ex libertis voluerit Iamundling, vel Litus fieri, aut etiam colonus ad monasteria supradicta, cum consensu coheredum suorum non prohibeatur a qualibet potestate, sed habeat licentiam nostram. Quo loco IAMVNDLINGI siue MVNDLINGI ex interpretatione Cl. IO. GEORGH WACHTERI, cui mox debet lingua nostra restitutas origines, dicuntur, qui se et res suas in potentioris tradidere protectionem, etc.*
- 4) Pro exemplo proferemus hic locum ex BROWERI *Antiquit. Fuldenf.* L. III. c. 2. quo iudicatur, *Rboram monasterium Litos VIII., Seruitores LXXVII., Saxones XVIII., Slauos LXXV., Colonos XXX., et Tributarios XXXIX., numerasse.*
- 5) Ita DITMARVS Lib. II. p. 343. *Omnia nostram Ecclesiam respicientia diuisa sunt Slaunicae ritu familiae, quae accusata venundando dispersigitur.*
- 6) Ita SAM. GVICHENONIVS explicat in *Biblioth. Sebustiana ad Charzam* 83. Lotharii, et Hugonis Regum. *Cent. I. Aldio, inquit, masculino genere, erat olim persona libera, deputata ad opus et ministerium Domini; quae, licet libera, non multum tamen distabat a Seruo. Aldia autem erat foemina eiusdem status; De eis loquitur Lex Langobarda, Rubr. de plagis et ferutis seruorum, et Rubr. de coniugiis Seruorum et Aldiorum. ALCIATVS ad l. lecta de rebus cred. Aldos vocat.*
- 7) *Delle Masnade e d'altri serui secondo l'uso de Longobará.*

§. XXXI.

Ex rebus, quibus tam Imperium administratur, quam priuata vita occupatur, duas tantum hoc loco feligemus, iurisdictionem et militiam. Legum quidem praecipua auctoritas a Rege, 1) sed rogato in Comitii Procerum consilio. Durabat *Capitularium* Regum Carolingorum reuerentia, atque ad ea Ottonem M. legimus in Comitii Francofurti A. 952. iudices ablegasse. 2) Ceterum et singulis populis, uti erant auiti moris tenaces, relictus

*De iurisdictione: Legibus etc.*



relictus fuit antiquarum legum vsus: Hinc, (vt de Fran-  
cico primum iure 3) agam) tot formulæ Nobilium Vi-  
rorum, et foeminarum, *Lege Salica se viuere* profitentium.  
Et diu post hæc tempora, OTTO, Episcopus Frisingensis,  
facta legis Salicæ mentione, addit: *Hac Nobilissimi Fran-  
corum, qui Salici dicuntur, adhuc vtuntur.* 4) Sic et  
Saxonicae leges, in Ottonum diplomatibus sæpe memo-  
rantur. 5) Earum confirmationem ab Henrico II. et de-  
inde a Conrado Salico sollicitè stipulati sunt Saxones. Le-  
gis Bauariorum, siue Noricorum, 6) itemque Aleman-  
nicæ 7) vsus in iudiciis illorum populorum mansit: Certo  
iudicio antiquæ libertatis, qua status Imperii in suis quis-  
que Territoriis leges condunt.

- 1) Ita diferte VITICH. Lib. II. Ann. p. 650. *Leges Diuinas atque huma-  
nas auctoralis vigore Ottonis M. polluisse* scribit.
- 2) REGINO de disciplina Ecclesiastica in prima Appendice cap. LIII. p.  
410. Edit. Baluz. *Capitularium præcedentium Regum institutis coram  
positis statutum est, ne oppressio virginum aut viduarum, vel raptus ab  
villis hominibus fiat. etc.*
- 3) Ita ipse Otto I. in perduelles, Tangmari affeclas, iudicium maiestatis  
*iure Francico* exercuit, ap. VITICHINDVM L. II. p. 645.
- 4) OTTO FRISINGENSIS L. IV. cap. penult.
- 5) Otto I. Imp. in Charta de A. 952. ap. STANGFOLIUM Lib. II. An-  
nal. Westphal. p. 183. Et Otto III. in Charta de A. 997. IBID. p. 203.
- 6) GERARDVS in Vita S. Vdalrici cap. 28. §. 33. p. 459. *Erib, postu-  
lante Episcopo, tradidit cum manu eius proprietatem legitime secundum  
Legem Noricorum.*
- 7) ERKEHARDVS de Casibus Monasterii S. Galli cap. 10. refert: *Inuasisse  
loca quaedam lege Alemannica cum aduocato Episcopum Constantiensẽ  
tribus diebus, vt ius erat, homines cum fisci iuramentis S. Orbomaro vin-  
dicantes.*

## §. XXXII.

*Italicae leges.  
Vsus Iuris Ro-  
mani, etiam  
Iustiniani.*

Sic et in Italia legibus Langobardorum auctoritas  
constabat, quibus Saxonici Caesares, vti ante Carolingici,  
nouas subinde Constitutiones adiecerunt. Durauit tamen  
et iuris Romani, ipsiusque Iustiniani vsus, praesertim  
in Romana Ecclesia: 1) quemadmodum et aliae per Oc-  
cidentem Ecclesiae libenter Romano Iure utebantur. 2)  
Ita quum seculo hoc X. de graduum computatione et pro-  
hibitione disceptaretur, Harto, Episcopus Vercellensis,

in



in epistola A. DCCCCXLV. scripta, ex Iustiniāni institutionibus eam decidit: 3) Romani quoque Principes, totius pene Monarchiae dominantes, quorum leges etiam nobis Sacerdotibus in multis conuenit obseruare, talia instituta de coniugiis dedere: Sed si qua per adoptionem soror tibi esse coeperit, quamdiu quidem constat adoptio, sane inter te et eam nuptiae consistere non possunt. Et porro: Si aduersus ea, quae diximus aliqui coierint, nec vir, nec uxor, neque nuptiae, neque matrimonium, nec dos intelligatur. Itaque qui ex tali coitu nascuntur, in potestate patris non sunt, sed tales sunt, quantum ad patriam potestatem pertinet, quales sunt ii, quos mater vulgo concepit. Quae ex §. 6. et 12. I. de Nupt. desumpta sunt. In Galliis quoque legum Romanarum manserat reuerentia, atque ad eas in Capitularibus saepe prouocatum. 4) Equidem constat, Codicem Theodosianum praecipue intelligi, cui aduersi fuerant Prouinciales, antequam Franci et Burgundi regnum in Galliis condiderunt. Sed tamen et Iustiniāni quaedam leges postmodum receptae videntur. Certe ad illas iam prouocat HINC MARVS, Archiepiscopus Remensis. 5) Itaque forte aliqua Romani Iuris femina in ipsam Germaniam perlata sunt, uti ex testamentis, (quae proprium Iuris Romani inuentum habentur,) hoc aeuo admodum iam frequentibus, colligas. 6) Insigne in primis testamenti militaris exemplum notauit MABILLONIVS. 7) Ceterum illa legum varietate confultum quidem libertati populorum: Sed simul incertitudo Iuris inde enata, qua Iudices pro suo adfectu facile abuti poterant, quos ita perstringit HINC MARVS 8) Quando sperant aliquid lucrari, ad legem Romanam se conuertunt; quando vero per legem aestimant acquirere, ad Capitula (Carolingorum Regum) confugium, sicque interdum fit, ut nec quidem capitula plene obseruentur, sed pro nibilo habeantur, nec lex.

1) Ipse Iohannes VIII. Pontifex in Decreto apud IVONEM CARNOT. T. III. cap. 98. ad leges Iustiniāni prouocat: Vnde nostra Serenitas cum praescriptis Episcopis, inspectis legibus Romanis, ubi habebatur de Sacri-



- Sacrilegiis, inuenimus ibi a Iustiniano Imperatore legem compositionis constitutam in quinque libras auri optimi. Add. Placitum de Castello Bucciniano apud MABILL. Tom. IV. Annal. Ord. S. Bened. p. 705 Et diploma Ottonis III. ap. EVND. p. 130. Sed pro hac perpetua, notitia, atque auctoritate Iuris Iustiniani contra VINC. GRAVINAM de industria nuper scripsit doctissimus D. ANTONIVS MARIA d' ASTI in peculiari libello: Dell' Vso e autorità della Raggione Civile.*
- 2) Quam lubenter vsae sint Ecclesiae Iure Romano, et cur, ostendit PETRVS de MARCA de *Concord. Sacerd. et Imp. Lib. II. cap. XI. §. 2.*
- 3) Ap. D. LVCAM d' ACHERI in *Spicil. Tom. VIII. p. 113.*
- 4) vid. Capitul. Caroli Calvi Tit. 31 c. 20. *In illis autem Regionibus, in quibus secundum legem Romanam iudicantur, iudicia, iuxta ipsam legem committentes talia, iudicentur, quia super illam legem, vel contra ipsam legem nec Antecessores nostri quodcumque Capitulum statuerunt, nec aliquid constituimus.*
- 5) HINC MARS Rhemensis, ad Hincmarum Episcopum Laudunensem, in altera Apologetica: *Vnde etiam leges, quibus debita obseruationis reuerentiam Sancta Ecclesia exhibet, in CXXIV. Capitulo, CCCLXIIII. Constitutionis Iustiniani dicunt, ut locorum venerabilium administratores sine pecunia fiant, videtur respexisse HINC MARVS ad textus Nou. VI. cap. I. et Nou. CXXIII. cap. I.*
- 6) De solemnibus testamentifactionis insigne est Capitulare Lotharii Imper. Tom. III. c. 3. ap. STEPH. BALVZ. Tom. II. p. 323.
- 7) MABILL. in Tom. IV. *Annal. Ord. S. Bened. Lib. 49. Conradus filius Rudolphi quondam Comitis, in die belli, quod fuit inter ipsum Ottonem II. et Saracenos sub favone, suae vexillo Imperiali, legali ritu tradendum Ottoni commendauit omne praedium suum, quod habebat in regno Lotbariensi, rogauitque in conspectu totius exercitus, ut hoc totum Corzienti monasterio Imperiali praeeptione, si ea die, uti contigit, moreretur, conferret Imperator.*
- 8) HINC MARVS in *Traet. de potestate Regia. cap. XV.*

## §. XXXIII.

*De Iudicio-  
rum Ordine.*

Iudiciis ipsi Reges saepe praefidebant, et si ambigua causa proposita, arbitrium dabant. 1) Alias vice Regum Comites Palatini iudicabant, quando res ad Regiam cognitionem spectabat. 2) Principum controuersiae vt plurimum in Curia discutiebantur, coram Paribus ipsorum, quod est illud tantopere olim celebratum IVDICIUM PRINCIPVM. Ad illud Boleslaus, Poloniae Dux pro-



prouocabat, qui ab Imperatore Henrico II. ad causam dicendam euocatus, *in praesentiam eius*, (quae DITMAR-Riverba sunt,) *venire noluit, sed coram principibus suis* haec fieri postulauit. 3) Ceterum seuerè subinde multatos fuisse etiam Proceres, Eberhardus exemplo est, Conradi I. Regis frater, sub Ottone I. canem portare damnatus. 4) Priuatorum causas Comites, aut Sculteti, cum Scabinis; 5) Ecclesiasticas Episcopi audiebant. Ipsa Iudicia in locis publicis, plerumque sub dio, loco arboribus confito, 6) habebantur. Ordinem ipsum iudiciorum, et symbola, quibus actus legitimos designare solebant, diuersasque formulas, et probationum species hic non attingimus. De duello tantum quaedam hic notamus, quod veteres Germani, 7) qui nihil pene fecerunt non armati, dextram autumantes diuina iustitia regi, ad *Iudicium Dei*, quo lites dirimerentur, referebant: iam olim perosi *Praetoris verba, virgasque Licitoris, et Saeniora armis Iura*. \*) Nulla tamen res magis arguat horum temporum ruditatem, quam quod iuris etiam ambiguitas duello tolli solebat; vti sub Ottone I. factum, quum quaestio proposita esset: Vtrum nepotes repraesentationis iure, aequè ac filii, succederent auo? 8) Duello innocentiam probabant rei, etiam Viri Principes. Geronem, sub Ottone II. eiusmodi duello sublatum e medio fremebant ipsi barbari moris asseclae. 9) Nonnunquam Promacho vti licitum. Ita Otto I. Imperator refelli volebat Iohannis XII. querelas, qui, nescio quid, contra datam fidem ac fas amicitiae admissum ab Ottone exprobrabat. 10) Imo et causae populorum duello finitae, vti sub Conrado Salico inter Saxones et Slauos, quum alter populus alterum argueret violatae pacis. 11) Illum vero defensionis fauorem prorsus incongruum dixeris, quod latrones quoque, et fures commissi sunt cum gladiatoribus, antequam sententia in illos ferretur. 12) Scilicet, tum Germania quaestiones et equuleos nondum nouerat.

1) AVCTOR VITAE MATHILDIS Cap. II. p. 195. *Rex saepe egressus e iudicio arbitris reliquit discutienda, quae fuerant legaliter pendenda.*

G 2

2) vid.



- 2) vid. supra §. XXVI.
- 3) DITMARVS Lib. VII. p. 402.
- 4) Poenam canis portandi etiam in Italia in vsu fuisse, obseruauit HAHNIVS in *der Teutschen Reichs-Historie* Tom. II. p. 99. not. xx.
- 5) Scultasio et Scapio vocantur in Diplomate Henrici Regis apud HVNDIVM Tom. II. *Metrop. Salisburg.* p. 15.
- 6) Inde iudicium ad ALTAM ARBOREM de quo egit IOH. ANDR. SCHMIDIUS in *Nummo Braſeato Henrico II. Comiti Blanckenburgio, vindicato.* p. 14. et 20. Et IO. GEORG. LEVCKFELD in *Antiquitatibus Praemonſtratenſibus, de monaſterio GRATIA DEI* §. XVIII. seqq. Adhuc hodie vigere quaedam eiusmodi iudicia, praecipue in Haſſia, et Wetterauiā, pater ex *Analeſtis Haſſiacis* Cl. AYMANNI.
- 7) Argumentum de legitimo quondam duelli vsu, secundum Barauorum mores egregie tractauit CORNELIVS VAN ALKEMADE. (*Behandeling van't Kamp-Regt.*)
- \*) Ita de Veteribus Germanis FLORVS L. IV. c. 12.
- 8) VITICHINDVS Lib. II. p. 644. *De legum quoque varietate facta est contentio, fuerque qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemque legitime cum filiis sortiri, si forte patres eorum obissent auis superstitibus. Vnde exit Edictum a Rege, ut vniversalis populi conuentio fieret apud villam, quae dicitur Szela, factumque est, ut causa inter arbitros iudicaretur debere exiſtimari. Rex autem meliori consilio vsus, noluit viros nobiles ac senes populi inhoneſte tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni iuſſit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios; et firmatum est, ut aequaliter cum patris hereditatem diuiderent pacto ſempiterno.*
- 9) Processus duelli, qualem descripsit ALKEMADIVS p. 178. optime illustratur ex hoc duello Geronis, prouti describit DITMARVS, Lib. III. p. 334. *Accusatus apud Imperatorem Gero Comes a Waldone, et in loco, qui Sumeringe dicitur, hortatu Adelberti Archipraefulis et Theodorici Marchionis captus. Deindeque conuocatis ad Magdeburg cunctis Regni Principibus, congressi sunt bi iudicio in insula quadam ſingulari certamine, vulneratusque in ceruicem bis Waldo, ardentius inſequitur hoſtem, percutiensque icſu valido caput, proſtrauit eundem. Interrogatus autem Gero Comes ab eodem, si plus potuiſſet pugnare, coactus est, quod iam deſeciſſet, proſiteri. Waldo tum egreſſus, aqua reſocillatus, de poſtris armis poſt tergum mortuus cecidit. Tunc Gero iuſſus decreto iudicum et voce Imperatoris, a carnifice quodam decollari.*
- 10) LVITPRANDVS apud BARONIUM ad A. 963. n. IX.
- 11) WIPPO p. 439. 440. *Inter Saxones et paganos fiebant ea tempeſtate multae*



multae disensiones et incurfiones. Quamque Caesar veniret, coepit quae vere, ex qua parte pax, quae diu inuiolata inter eos fuerat, prius corrumpetur. Dicebant pagani, a Saxonibus pacem primitus confundi, id per duellum, si Caesar praeciperet, probari. E contra Saxones ad resellendos paganos similiter singulare certamen, quamuis iniuste contenderent, Imperatori spondebant. Imperator consulentibus Principibus suis, licet non satis caute ageret, hanc rem duello diiudicari inter eos permisit.

12) DITMARVS Lib. VII. p. 412. Multi latrones a gladiatoribus singulari certamine deuicti, suspendio perierunt. ID. p. 413. Conueniant fures iussu Imperatoris et a congregantibus deuicti laqueo traduntur.

## §. XXXIV.

Inprimis hoc aevo iterum effloruit virtus militaris *De Re Militari.* in Germania, instaurata ab Henrico I., cui posterior aetas et leges militares, et hanc inprimis adscripsit, qua filius primogenitus, ex hereditate Patris, res ad expeditionem necessarias (Hægeratse vocant) accipit. In militia honestissimum habebatur, equo mereri. Erantque certi virtutis armatae, et dignitatis militaris gradus. Primum tenuere, qui MILITES vocati sunt. 1) Post hos Scutiferorum, et Bacalariorum ordines. Vtrique ab armorum genere dicti. Illi, quod scuto mererent, vnde et scutarium, pro seruitio militari, quod scuto feudi lege praestabatur; vel pro redemptione militaris operae dictum: Hi a baculis, quod baculis militiae tyrociniuum, et duelli aleam experirentur. 2) Ceterum loricati milites inprimis in honore habiti. 3) Diuersa illa arma iam in Caroli M. Capitularibus occurrunt, 4) vbi militibus iniungitur, vt armati veniant, id est, qui potest habere cum lorica, aut scuto ancipite, atque fuste. Quodsi bellum ingrueret, Regio iussu, siue banno, milites ex toto regno, ad expeditionem suscipiendam conueniebant. 5) Qui venire neglexerant, Heribanno (id multae nomen) tenebantur. 6) Grauior adhuc poena, si quis absque licentia Principis ab exercitu discederet, quod Herischiza vocabant.

1) vid. NIC. MIER. GYNDLINGVS in Henrico Aucupe p. 135. seq. 2) vid.



- 2) vid. ANT. DAD. ALTESERRA de *Dacibus et Comitibus Galliae provincialibus*. Lib. II. cap. 8.
- 3) Quod *Ioricatis militibus* pretium statuerit haec aetas, ex DITMARO colligas, qui Lib. IV. p. 387. ita de Ottone III. Imperatore. *Perfectis omnibus, Imperator a praefato Duce (Poloniae Bolizlao) magnis muneribus decoratur, et quod maxime sibi placuit, trecentis militibus Ioricatis.*
- 4) *Capitul. Caroli M. L. III. C. vlt. et in Capitul. II. de A. 813. C. 9.* praecipitur, vt ipse Comes provideat, *quomodo milites sint parati, id est, lanceam, scutum, aut arcum cum duabus chordis, et sagittis duodecim.*
- 5) DITM. Lib. VI. p. 380. *Henricus II. praecipit, etiam in Palatio, et in omnibus Comitibus regni sui expeditionem in Poloniam, et conueniunt in Liezca per bannum fieri.* Ex eodem DITM. Lib. VI. p. 227. patet, *Comitem Palatinum per bannum Regalem fugam militibus in expeditione Italica constitutis interdixisse.*
- 6) *Heribannum* hocce adhuc aeuo in vsu fuisse, patet ex CHRONICO HALBERT. T. II. *Scr. Rer. Brunsv. vbi narratur, Hildewardum Episcopum ab Imperatore Ottone III. obtinuisse in Halberstadt et Osterwick Regium bannum, et Regalem Heribannum super milites, liberos, et seruos.*
- §. XXXV.

De re Feudali.  
Beneficia  
vt hereditaria  
facta?

Ex institutis militiae Feudalis quoque disciplina lucem accipit, eamque vicissim Iuri Publico foeneratur. Ipsa FEVDI VOX, vti et VASSI, et VASSATICI, 1) haud dubie Germanicae originis, 2) et primum quidem seculo IX. in chartis publicis, rarissime tamen, occurrit. 3) Plerumque BENEFICII vocabulum apud scriptores huius aevi adhibetur. Idque interdum ipsum officio regni, 4) interdum fundum illi adsignatum, notat. 5) Initio autem, quae beneficium titulo possidebantur, a Rege, et quocumque domino, pro arbitrio reuocari poterant. Sensim speciali Regis gratia concessum fuit, vt beneficia in filios quoque prorogarentur. Ita de Utone Comite REGINO scribit, ipsum *permissu Regis, quicquid beneficium aut praefectarum habuit, quasi hereditatem inter filios diuisisse.* 6) Illa indulgentia sub Conrado II. qui post Saxonico rerum potitus est, magis inualuit. Illum testatur WIPPO, *militum animos in hoc multum attraxisse,*



se, quod antiqua beneficia parentum nemini posterorum auferri sustinuit, 7) Ita sensim ad hereditariam possessionem feudorum itum est. Ritus, quo conferri solebant feuda, (Vestituram vocant voce vernacula, quae firmitatem notat) illustre ex hoc aevo apud VITICHINDVM exemplum est: Berengarius nimirum, ut ille refert, 8) quum regnum Italiae ab Ottone in feudum acciperet, manus filii sui Adelberti, suis manibus implicans, renouata fide, coram omni exercitu se famulatum Regis cum filio subiugabat. Simili ritu Thassilo, Boioariorum Dux, Carolo M. fidem dederat. 9) Is ritus adhuc nonnullibi durat in Feudis Ligiis. Duces quoque, 10) et Comites, 11) iam hoc aevo per vexilla fuisse inuestitos ex huius, aevi monumentis constat.

- 1) Egregius hanc in rem est locus ap. HINC MARVM in Opusc. 55. Capitul. Cap. 52. De hoc quoque vitio superbiae descendit, quod multi Te apud plurimos dicunt de fortitudine et agilitate Tui corporis gloriaris, et de praeliis, atque ut NOSTRATIVM LINGVA dicitur, de Vassaticis, frequenter ac liberaliter sermonem habere. Hoc loco VASSATICVM denotat militare factum. Plura de significato huius vocabuli obseruauit CANGIVS, quibus hic vnum addimus locum ex vita S. Bernardi, cap. 28. quo plane diuerso sensu adhibetur: pro ipso Vassorum comitatu, et instructu: Otto III. Imperator iubebat vniuersos Theotifcos Episcopos ad suam praesentiam festinare - - cum omni SVO VASSATICO.
- 2) Id nuper eruditissime ostendit Consultiff. GEBAVERVS in Diff. de Originibus Feudi, qua vocem, qua rem non externis, sed Germanicis adferit.
- 3) Vid. IDEM l. c. §. 20. 21.
- 4) Sic intelligo DITMARVM Lib. VII. p. 388. Vbi Wirinbarium Marchionem a Rege in multis accusatum, gratiam Regis et BENEFICIVM suimet perdidisse dicit, nisi hoc Burehardus prudenti consilio distulisset.
- 5) Ita DITMARVS Lib. VI. Annal. p. 380. Rex Comitatum super Merseburg, et BENEFICIVM AD HVNC pertinens, Burchardo concessit. IDEM l. c. p. 338. Rex Thiedrico, Dedi Comitis filio, Comitatum, ac omne beneficium, iure et hortatu Reginae, ac Principum suimet dedit.
- 6) REGINO ad A. 940.
- 7) WIP



- 7) WIPFO, p. 430.
- 8) VITICHINDVS Lib. III. *Annal.* p. 652.
- 9) V. CHRONICON apud MARCVM VELSERVM Lib. V. *Rer. Boicicar.* ad A. 757. Lib. V. *Thassilo Dux venit Boioariorum, in Vassatico se commendans per manus, sacramenta iuravit multa, et innumerabilia, et fidelitatem promisit Regi Pipino sicut Vassalus.*
- 10) Vnde ADELBOLDVS in *vita Henrici S. §. I. p. 413.* scribit: *Henricus sic in Ducatu vixit, quod omnibus placuit, vt de Ducatu transduceretur ad regnum, DE VEXILLO extolleretur in solium.*
- 11) Insignis hanc in rem locus apud DITM. Lib. V. p. 369. *Gerhardus, Comes Asatiae, accepto a Rege quondam Comitatu Ducis Hermanni, quum domum rediret, iuxta vnam urbium castra metatus est. Vnus ex urbanis calliditate aequae et velocitate per saepe probatus, propius decessit, SIGNIFERAMQUE LANCEAM, QVA BENEFICIUM Ducis Comes idem ACCEPERAT a Rege, coram tentorio eius adfixum eleauit. Triflis abiit, tam VACVVS A BENEFICIO, QVAM A MILITARI SIGNO.*

## §. XXXVI.

*De feudis Indominicatis. An feuda Lotharingiae talia?*

Quamquam vero beneficia hereditaria fierent, nihilominus tamen qualitatem feudalem retinebant. Itaque distinguenda ab iis, quae, singulari Regum gratia, Vassallis bene meritis in patrimonium data fuerunt. Ita DITMARVS I) de Eckardo Marchione: *Vitae cursum quam probabiliter egit, testificabatur, quod apud dominum suimet beneficii maximam partem adquisuerit in proprietatem. Cuiusmodi bona a Francis Feuda INDOMINICATA, a Germanis SOLARIA dicta sunt.* 2) Et sunt nonnulli in ea opinione, in prouincijs Lotharingiae iam hoc seculo omnia beneficia proprio iure possessa, et retento feudi nomine in allodium conuersa fuisse, adeoque indominicata effecta, atque ita et in filias deuoluta. Sed illos quidem non vna ratio refellit. Nam quum feuda in genere officii publici causa constituta sint, quod a viro tantum praestari poterat, vbique contra filias militat praesumptio. 4) In Lotharingiae partibus accedit antiquus legis Saliciae vsus, quae filias a successione in Territorio excludit. Denique exempla, quae de exclusis in vtroque Ducatu Lotharingiae foeminis supra attigimus. Adeoque



que si deinde in partibus Lotharingiae in Feudis nonnullis Imperii etiam filiae admittae sunt, id non vniuersali alicui mori, sed specialibus priuilegiis imputari debet, neque inde regula confici, et ad alia etiam feuda aptari.

5) Vti vero ex beneficiis nonnunquam allodia fiebant, ita e contrario saepe accidit, vt allodiorum possessores aut potentioribus ob metum vicinorum, aut religionis studio ecclesiis, praedia sua in feudum offerrent. 6)

1) DITMARVS Lib. VI. p. 366.

2) V. GVNDLINGIANA P. XI. n. 3.

3) Vid. IBID. P. XL.

4) Conf. III. GRIBNERVS in Diff. de Feudis Imperii masculinis non foemininis.

5) V. supr. §. VIII. et IO. IACOBVS GHIFLETIVS *Lotharing. Masculina.*

6) Plurima feudorum oblatorum exempla hoc aeuo reperiuntur in VI. TA MEINWERCI.

### §. XXXVII.

Quum vero feuda ad militiam fuerint initio comparata, durauit inde mos, vt clientes, qui dominos in militiam sequi deberent, communi MILITVM nomine insignirentur. Eodemque vocabulo et Principes exteri designantur, quando se, ac ditionem suam Regi, aut alii cuidam Germaniae Principi submittebant. Ita DITMARVS Boleslaum, Bohemiae Ducem, MILITEM vocat Ekhardi Marchionis. 1) Non vnus tamen erat horum militum siue Vassallorum ordo. *Milites primi*, et *Milites gregarii*, diserte a se inuicem a rerum Germanicarum Scriptoribus distinguuntur. Nota sunt ex Iure Feudali Longobardico Valuasorum, et Valuasorum nomina; 2) ex quorum aemulatione magna sub Conrado II. in Italia coorta est rerum conuersio. 3) Neque tamen SIGONIO adsentimur, 4) qui Ottonem M. haec Vassallorum series primum instituisse scribit. Siquidem illa diuersitas ex antiqua Germanorum militia originem trahit, et in Carolingici seculi monumentis, disertis verbis

*Diversi Vassallorum ordines.*



bis *Vasalli maiores et minores* distinguuntur. Namque Reges uti Comitibus, Episcopis, aliisque beneficia contulerant, qui inde *Vasalli Dominici* dicti sunt, ita illi vicissim *Vasallos* suos habuere. 5) Ita Ludouicus Pius, Imperator: *Hi vero qui postea venerunt, et se aut Comitibus, aut VASSIS nostris, aut PARIBVS suis commendauerunt, et ab eis terras ad habitandum acceperunt, etc.* 6) Et Ludouicus II. Imperator, in Constitutione de promotione exercitus: 7) *Quod si Comes, aut BASSI nostri, aliqua infirmitate remanserint, aut aliquem excusatum retinuerint, ipsi suos honores perdant, et eorum BASSALLI et proprium, et beneficium perdant.* Eisdem quoque Vasorum distinctos ordines refert Charta Conradi, Burgundiae Regis, cui *Vasalli Dominici maiores et minores* subscripsere. 8)

1) DITMARVS Lib. III. p. 366.

2) II. Fend. 10. *Qui a Principe vel ab aliqua potestate de plebe aliquo, vel plebis parte per feudum est inuestitus, is Capitaneus appellatur, qui proprie Valuassores Maiores olim adpellabantur. Qui vero a Capitaneis antiquitus feudum tenent, Valuassores sunt. Qui autem a Valuassoribus feudum, quod a Capitaneis habebatur, similiter acceperint, Valuassorini, id est minores Valuassores adpellantur.* Add. I. feud. princip. De Valuassoribus conf. GV. PANCIOLVVS in *Tbesaur. Var. Lectio. Lib. I. c. 88.*

3) VIPO, in *Vita Conradi Salici.* *Magna et modernis temporibus inaudita confusio facta est Italiae, propter coniurationes, quas fecerat populus contra Principes. Coniurauerant enim omnes VALVASSORES Italiae, et GREGARII MILITES aduersus Dominos suos, et omnes MINORES CONTRA MAIORES, ut non paterentur aliquid inultam sibi accidere a Dominis suis.*

4) CAR. SIGONIVS de *Regno Italico*, Lib. VII. p. 175.

5) Conf. LEG. ALEMANNICAE cap. 37. Add. HERTIVS in *Notitia regni Franciæ Veteris*, Cap. III. §. 56.

6) In Praecepto II. pro Hispanis, qui in Regno Francorum manebant, apud STEPH. BALVZIVM T. I. *Capitul.* p. 572.

7) Cap. V. Tit. 4. inter Capitul. Ludouici II. Imp. *IBID.* Tom. II. p. 366.

8) Ap. SAM. GVICHENONIVM in *Bibliotheca Sebustiana* Cent. II. n. 5 Equi-



Equidem DIONYSIVS de SALVAING, qui de Feudis Burgundicis erudite commentatus est. L. I. cap. 2 de *Vfibus Feudorum* (de l'Usage des Fiefs) scribit, Imperatores demum Iura Feudorum in Burgundiam, ex quo potiti essent Regno illo, introduxisse. Sed id saltem de institutis Feudorum, quae in Italia floruerunt, intelligi potest. Namque inter Burgundos haec militiae beneficiariae instituta viguisse, praeter alia plurima indicia, vel ipsa haec charta Regis Conradi docet.

§. XXXVIII.

Indolem denique ac vim Saxonici Imperii vt magis intelligas, ad Ecclesiae quoque statum respicere oportet. *Status Ecclesiae Germanicae.* Illius res sub Saxonice summopere effloruerunt, vt et studia literarum in media Saxoniam. 1) Episcoporum quidem antiquitus magna in Republica auctoritas, et praecipue sub Carolingis, fuerat. 2) Nunc autem Regalibus aucti, et clientelis, et procurationibus prouinciarum, atque vrbium admoti, maxima opum ac potentiae incrementa habuerunt. Scilicet plerique ob cognationes in aula conspicui, quum insuper religionis, ac literarum secreta soli tenerent, facile primas in consilio Regum partes, 3) legationesque, et alia fere omnia togae munera obtinuerunt. Nec id citra vtilitatem Reipublicae. 4) Namque Ecclesiastici ferociam militarem populi religione temperantes, plebem et proceres metu numinis in officio continebant. Itaque Reges Episcoporum atque Abbatum commoda amplificabant, vt Ducum aliorumque Procerum opes librarent, atque illi vicissim Regum dignitati studebant, cui sua innitebatur. Constabat denique Regibus sua etiam circa sacra auctoritas, neque maior vnquam eius splendor enituit, donec sub Henrico IV. orta est infausta inter Imperium et Sacerdotium contentio.

1) Quam in Saxoniam etiam effloruerint literarum studia, pro specimine hic proferam Scholam Paderbornensem, de qua AVCTOR VI-TAE MEINWERCII, §. LII. p. 546. In ea publica tunc floruerunt studia, quando ibi Musici fuerunt et Dialectici, enituerunt Rhetorici, clarique Grammatici, quando Magistri artium exercebant triuim, quibus omne studium erat circa quadruium: Vbi Mathematici floruerunt, et Astronomici, habebantur Physici, atque Geometrici. Viguit Horatius, magnus et Virgilius, Crispus Salustius, et Urbanus Statius: ludusque fuit omni-



omnibus insudare versibus, et dictaminibus, iucundisque cantibus. Quorum in scriptura et pictura iugis instantia, claret multipliciter bodierna experientia; dum studium nobilium Clericorum usu perpenditur vtilium librorum.

- 2) Non Ottonem M. demum, vt vulgo creditur, secularia permisisse Episcopis, sed eius rei initia iam sub Carolingis quaerenda obseruavit LEIBNITIVS in Introd. ad Tom. I. *Script. Rer. Brunsvic.* f. 7.
- 3) Ita TANGMARVS in *Vita Bernardi* cap. XIX. p. 450. scribit: *Imperatoris cubiculo Episcopos confidentes forenses causas, et Reipublicae necessaria contulisse.*
- 4) Non incongrue ideo SIGEBERTVS LEVITA in *Vita Theoderici, Merensis Episcopi*, Cap. VII. p. 297. *felicia praedicat Ottonum tempora, ubi claris Praesulibus et sapientibus viris Respublica erat reformata, pax ecclesiarum restaurata, honestas religionis redintegrata. Erat, inquit, videre et re ipsa probare, verum esse illud Philosophi, FORTVNATAM ESSE REMPVBLICAM, SI VEL REGES SAPERENT, VEL REGNARENT SAPIENTES.*

## §. XXXIX.

*Officiales Episcoporum: Aduocati, Vice-Domini.*

Itaque Episcopi, et nonnulli Abbates, vt reliqui Principes iam hoc aevo habuerunt officiales praecipuos, Marschallum, Camerarium, Dapiferum, Pincernam; quae officia Palatina inter insignia Principalis dignitatis censentur. Ita Henricus II., in Laudo, quo lites inter Abbatiam Fuldensem, et Hirschfeldensem composuit: *De Camerariis, et Pincernis, aliisque honoratis virorumque Abbatum constituimus etc.* 1) Et iam tum clarissimos etiam Principes eiusmodi munera suscepisse constat. Ceterum manebat aliquandiu pristinae disciplinae species, vt Episcopi et Abbates sacra tantum curarent, rem secularem Aduocati, seu Vice Comites. Illorum inter alia erat clientes Ecclesiae, militiae addictos, in aciem educere. 2) Talis fuit Ludolphus, ortus ex Comitibus Palatinis Lotharingiae, Archi Episcopi Colonienfis *Legionis Signifer, siue primipilarius.* 3) Aduocatos initio Reges dedere, mox impetrare certatim Praesules, vt pro arbitrio ipsi eligerent, et denique Aduocatorum munus, et nomen fere omnes sustulerunt. Reperio etiam hoc aevo Vice Dominos, sed et ipsos ex ecclesiastico ordine. 4)

1) vid.



- 1) vid. Cl. 10. FRIDER. SCHANNATI *Hist. Fuld. Prob. 43. De Abbatia Stederburgenfi ita in chronico eiusdem p. 850. Frideruna, quod ad huius mundi gloriam pertinet, secundum ritum Principum Dapiferis, Pincernis, Mareſcallis noſtram eccleſiam glorioſiſſime decorauit.*
- 2) De formula Aduocati conf. Idem P. II. p. 15. add. AVCTOR VITAE MEINWERCII p. 531. 541. 547.
- 3) Ap. MONACHVM BRAVVILLER. cap. I. p. 316. conf. SCHANN. l. c. p. 74.
- 4) De eiusmodi Vice Domino WOLFERRVS in VITA GODEHARDI, p. 496. *Erat in noſtra congregatione vir vitae venerabilis, ac in omni CANONICAE REGVLAE obſervatione. iure laudabilis, nomine Padilo, primo ſub Domino Bernwardo pro fidei et induſtriae praerogativa VICEDOMINVS, ſed a Godebardo DECANIAE AC SCHOLARI MAGISTERIO praefitutus.*

§. XL.

Quae in conſtituendis Episcopatibus, et Metropoli-  
bus, inque designandis dioceſibus, Regum hoc aeuo au-  
thoritas fuerit, Otto M. in primis plurimis documentis te-  
ſtatum reliquit; quum plures in prouinciis Slaorum Epi-  
ſcopatus, atque ipſam Metropolim Magdeburgenſem fun-  
dauit; quumque in Danis fundatos Episcopatus Hambur-  
genſi Eccleſiae ſubiecit: 1) Nec minus Otto III. quando  
in Polonia Episcopatus inſtituit, atque ſedem Archi-Epi-  
ſcopi Gneſnae designauit. Sic et Otto II. quum Papa Be-  
nedictus VII. Eccleſiae Paſſauienſi antiquum ius Metropo-  
leos Laureacenſis reſtituiſſet, ipſe ſingulari diplomate il-  
lud adferuit, 2) ex quo ſequentia hic notamus: *Sicuti priſ-  
cis temporibus S. Laureacenſis Eccleſia Mater Eccleſia, et  
Episcopalis ſedes fuit, ita deinceps priſtino honore, ac dignita-  
te, Canonica auctoritate perſeruetur, quam et praefenti  
praecepto noſtro renouamus, atque roboramus, et Laureac-  
cenſis Eccleſiae venerabilem Pilgrinum reimbronizamus  
Antiſitem, quatenus a modo tam ipſe, quam omnes ſui  
ſucceſſores Laureacenſes fiant, et nominentur Episcopi. Re-  
nouant haec exempla memoriam modi, quem priſci Im-  
peratores in tabulis tenuerunt. Ita Iuſtinianus Impe-  
rator Iuſtinianae Primae, patriae ſuae, metropoleos et*

*lus Regum  
circa Episco-  
patus. etc.*



Archiepiscopalis sedis honorem per Prouincias aliquot Helyrici assignauit, 3) impetrauitque a Papa, vt eius Episcopo vices suas delegaret. 4)

- 1) Vid. ADAMVS BREMENSIS Lib. II. *Hist. Eccles.* cap. 2.
- 2) Ap. WIG. HVNDIVM in *Metrop. Salisb.* Tom. I. p. 201.
- 3) *Novell.* XI.
- 4) *Conf. Nouell.* CXXXI. cap. 3.

## §. XLI.

*Item in beneficia ecclesiastica.*

Regum in ipsa beneficia ecclesiastica potestatem nemo mirabitur, qui meminerit, quam liberales in foundationibus, et donationibus piis, quam seduli in tuendo, ornandoque Ecclesiae statu fuerint. Quosdam Episcopatus dabant Reges, nulla praeuia electione. Ita Vdalricus Augustanum Episcopatum ab Ottone I. Ansbertus Leodiensem ab Ottone III. Ditmarus Mersburgensem, Godehardus Hildeshemensem ab Henrico II. 1) acceperunt. Plurimae ecclesiae ius liberae electionis priuilegio impetrare a Regibus. 2) Atque tum non modo Clerici, sed etiam Laici ad electionem conueniebant. 3) Vbi Metropolitanus eligendus erat, Episcopi illius Prouinciae ad suffragium vocabantur. 4) Sed etiam si Ecclesia haberet facultatem eligendi, nihilominus Reges Episcopos interdum instituere, non expectata electione. Ita Magdeburgensis Ecclesia ab Ottone II. impetrauerat quidem priuilegium liberae electionis: Henrici II. iussa tamen bis praeualuere. 5) Si discordia turbasset eligentium Comititia, Rex nominabat Episcopum. 6) Quin et rite peracta electio non valebat, nisi Rex auctor factus, eam confirmasset. Qua de re plurima sub Henrico II. exempla prostant. 7)

1) WOLFERRVS in *Vita S. Godehardi* Cap. III. p. 489. *Clerus CVM MILITIA* Ciuitatis ad Imperatorem veniebat, quibus dum Imperator suum decretum de Godehardo eligendo intimaret, tota eorum unanimitas gratanter Dominum laudando suscipiebat.

2) Frisingensis Ecclesia eiusmodi priuilegium iam sub Ludouico Infante obti-



obtinerat, vid. Diploma ap. HVNDIVM Tom. I. p. 127. Eadem facultas hoc aevo concessa Ecclesiae Magdeburgensi, Bremensi, Paderbornensi etc.

- 3) MARIANVS SCOTVS ap. BARON. ad a. 954. *Wilhelmus cum consensu cleri et populi Moguntinae Sedis fuit electus Archi Episcopus. AVCT. VITAE ADALBERTI apud SVRIVM d. 23. Apri (Post mortem Episcopi Bohemiae prouinciae) conueniunt Dux terrae et maior populus, et pro eligendo pastore varias sententias dicunt. Omnes tamen ad vltimum manus leuant, aera clamoribus implent, non haberi meliorem, nec alium oportere suum esse Episcopum, quam indigenam Adalbertum.*
- 4) Ita Archiepiscopum Magdeburgensem electum testatur DITMARVS, Episcopus Mersburgensis Lib. VI. p. 393. *Omnes uos fratres ad Capitulum venientes tunc nepotem meum Theodoricum, excepto Bemone, eligimus.*
- 5) DITMAR. L. VI. p. 374. *Rex praemittens (Magdeburgum) Capellannum suimet Wigbert, ut de electione Tagmonis unanimem confratrum voluntatem impetraret. Sed Praepositus eiusdem Ciuitatis Waltherd nomine, conuocatis in unum confratribus vniuersis, obitum Senioris, et aduentum Regis pariter indixit; obsecrans, ut inuicem aliquem inquirerent, cum quo antiquam eligendi consuetudinem retinerent. Cui ab omnibus illico responderetur, eundem se communiter velle in Dominum habere. Ipse tamen postea cessit TAGMONI. De GERONE. ID. Lib. VI. p. 395. Rex ad Magdeburg veniens, omnes eligentes conuenire praecepit. Ibi tunc Regali petitione, et salua in posterum electione Gero communiter eligitur.*
- 6) CHRONICON HALBERSTAD. p. 119. l. c. *Post decessum Hildewardi Episcopi, quum Eccl. sia ad electionem alterius consedisset, maior et senior pars Capituli Hildonem in Pontificem elegerunt; sed quum electione unanimi nequirent concordare, Arnulphus de Curia Regis Halberstadiensis Ecclesiae ab Ottone II. est praefectus.*
- 7) Henricus II. quum clerus et populus Magdeburgi elegissent Waltherdum, Tagmonem Archiepiscopum instituit: vti n. 5. obseruatum. Idem Tagmonem Ratisbonae Episcopum electum non confirmauit, sed Episcopatum dedit Gebhardo, Capellano. DITMAR. Lib. VI. p. 397. *De Ottone, electo Archiepiscopo Bremensi. Idem scribit: Clericis comitantibus et Laicis, Magdeburgum supplex venit, et Regis gratiam ad completionem electionis per fidos intercessores postulat. Quos Rex nullatenus audit, sed Capellano suimet Vrmano cum laude aduenientium, etsi non spontanea, Episcopatum dedit.*



§. XLII.

*De inuestitura  
per baculum,  
et annulum.*

Scilicet praecipuum momentum dabat inuestitura, siue sponte conferret Episcopatum Rex, siue electum Praefulem confirmaret. Ita vocatur solemnus actus, 1) quo Rex Episcopatum Praefuli tradebat, et is vicissim Regi sacramentum dicebat. 2) Symbola erant ferula, siue baculus Pastoralis, 3) et annulus. Quemadmodum in profanis muneribus gladius, vexillum, scutum, etc. adhiberi solebant. Baculus notabat iurisdictionem Ecclesiasticam, eoque omnes olim Episcopi, et ipse aliquandiu Romanus Pontifex, 4) ut insigni Episcopalis muneris vsi sunt. Annulus autem indicio erat, Episcopum Ecclesiae suae desponsari. 5) Quod Henricus II. Meinuerco, Paderbornensi Episcopo, per chirothecam tradidisse Episcopatum legitur, 6) non inuestituram arguit, sed pignus promissionis. Solebat defuncto Episcopo baculus, quo inuestitus fuerat, referri ad Regem. 7) Etiam qui abdicabant se beneficio, baculum Regi reddebant. 8) Isque in noui Antistitis inuestitura iterum adhiberi solebat. 9) Abbates per baculum inuestiebantur: Nam ferrius annulo uti coeperunt, 10) itidemque Abbatissae. 11) Haec inuestitura praestantissimum Regiae Maiestatis ius habita est, solebantque et in Oriente Imperatores Patriarcham baculo inuestire, 12) Adeoque profus singulare, et inter optimas condiciones, quum Henricus I. Arnulpho Duci concessit Pontificatus Baurariae. In absentia Imperatorum Vicarius habebat facultatem confirmandi Episcopos. Hoc titulo Hermannus Dux Saxoniae confirmauit Hildevardum, Episcopum Halberstadiensem. 13)

1) Ritus inuestiturae describitur in Libello de Promotione Episcoporum peruerusto, quem IAC. SIRMONDVS inseruit Tom. III. Conc. Galliae.

2) DITM. Lib. VI. p. 392. Waltherdus a Rege accipit baculum pastoralem. Post sacramentum Regiae potestati exhibitum introductus est in ecclesiam.

3) Baculus, ferula, Virga Pastoralis, promiscue nominantur. Ex professo de illo egit IO. ANDR. SCHMIDIVS in Diss. de Baculo Pastoralis.

4) Papam



- 4) Papam baculo usum, negatum a nonnullis; Pro illis militat cap. vn. X. de sacr. vncf. *Licet Romanus Pontifex non utatur baculo Pastoralis, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem, tu tamen ad similitudinem aliorum Pontificum eo poteris uti.* Sed olim omnino gestasse, ex rebus sub Ottone M. gestis satis constat. Siquidem LVITFRANDVS narrat L. VI. de rebus Imper. etc. fin. Benedictum, qui sedem Papalem inuaserat, inter Pontificatus insignia ferulam quoque h. e. baculum Pastoralem vsurpasse, exauctoratumque Leoni, Papae legitimo, illam reddidisse, qui confregit, fractamque populo ostendit. Id latius deduxit IO. CIAMPINI P.I. *Veterum monumentorum* cap. 15. p. 123. et vsque ad tempora Gelasii II. hunc morem obtinuisse, ex antiquis Pontificum imaginibus docet. Crederes adeo Pontifices tum baculum abiecit, quum sublati Imperatorum Regumque inuestituris, vna cum iure confirmandi Romanum Pontificem, altius iam caput extulisset Romana Ecclesia. Nuper peculiaris diatribe in eam rem prodit Romae.
- 5) WOLFHERVS in *Vita Godehardi* p. 491. *Arilo Regius Capellanus successit, (in Archiepiscopatu Moguntino) quo Imperialis annuli dono, Regio more praesignatus. Nonnunquam tamen annulum etiam ante inuestituram priuatim datum fuisse, colligas ex DITMARO Lib. VI. p. 392. Egressus (a Rege) Waltherdus annulum portat in manu sua, et ostendens nobis: Ecce habetis, inquit, pignus subsequuturae pietatis. Et tunc omnes nos praedictum Patrem elegimus et mox a Rege accipit baculum pastorem. Post Sacramentum Regiae potestati exhibitum introductus est in Ecclesiam.*
- 6) AVCTOR VITAE MEINWERCI §. XVI. p. 512. *Henricus Rex Meinwericum aduocauit, et consueta beneuolentia eum arri-dens sumta chirotheca: Accipe, ait: Quo, quid accepturus esset, percunctante: Episcopatum, inquit Rex, Patberbrunensis Ecclesiae.*
- 7) GERARDVS in *Vita S. Vdalrici* cap. XXVIII. p. 576. *Post obitum S. Vdalrici Episcopi quidam Clerici Aduocato, et aliis quibusdam militibus de eodem Episcopatu secum comitantibus, ad curtem Imperatoris baculum Episcopalem ferendo iter agere coeperunt.*
- 8) PETRVS DAMIANVS in *Vita S. Romualdi* §. 33. p. 290. *Romualdus Regem impiger adiit, et eo non leuiter reluctante vna cum Archiepiscopo Rauennate, in vtriusque conspectu virgam proiecit, et monasterium (Classense) dimisit.*
- 9) DITM. Lib. V. p. 374. *Henricus Imperator baculo Arnulphi Praefulis Clerum et populum Magdeburgensem Tagmoni commisit, eundemque in cathedram Episcopalem ipse constituit.*
- 10) Conf. SCHMIDIVS in *Diff. de Annulo Pastoralis* p. 5. qui et p. 8. obseruat, Abbates Seculo XII. demum annulos accepisse.



- 11) DITM. Lib. IV. *Annal.* p. 357. *Caesar Abbatiam Quedlinburgensem dilectae suimet germanae Adelheidi per Becollnum petitorum, virga a longe commisit aurea.*
- 12) CODINVS de *Offic. Aulae Constant.* cap. 20. *Patriarcha deinde in suggestum conscendens, a manu Imperatoris pedum pastorale accipit. At Archimandritas et ProtoSyncelli, sed et venerabilium monasteriorum praefecti, postquam a Patriarcha electi, et cruce signati sunt, abeunt et ipsi ad palatium, et venerantur Imperatorem, et ab eius manu pedum accipiunt.*
- 13) Vid. CHRON. HALBERSTADIENSE p. 116. l. c.

## §. XLIII.

*De Consecra-  
tione etc.*

Ita inuestitus consecrandus demum erat, quo actu ordini Episcoporum adscribatur. Regulariter Episcopi consecrabantur a Metropolitanis, et praesentibus minimum duobus, ex eadem provincia Episcopis. 1) Quum Metropolitanus consecrandus esset, inaugurabat illum, in corona Episcoporum illius provinciae, qui reliquos ordinatione antecederet. 2) Ab illo etiam si forte ab alio Metropolitano consecrari mallet, impetranda venia, 3) nisi Regio iussu id fieret. 4)

- 1) Ita DITMARVS Lib. VI. p. 376. *Wigbertus Episcopus Merseburgensis ab Archi Episcopo suimet Tagmone, et a confratribus Hilderico, et Wigone, Coepiscopis consecratur.*
- 2) DITM. Lib. VII. p. 406. *Henicus Imperator Popponem Treurensem praefecerat urbi, et quum is ab Erkinbaldo, Moguntinensi Archi Episcopo, iussu Caesaris, et licentia Virdunensis Archi Episcopi, QVI PRIMUM HORVM IN ORDINE FVIT confratrum, consecrari debuisset, a Thiedrico, Metensi Episcopo, eo quod a se iustius haec ordinatio fieri deberet, ad sua adclamatione et humili petitione id incassum (prohibebatur.) Nam Imperator huic scripta demonstrantem, et bannum id interdicens non exaudivit, sed unctionem compleri praecepit.*
- 3) DITM. Lib. VI. p. 375. *Tagmo, Archi Episcopus Magdeburgensis, accepta ab Hilderico Antistite licentia, qui primus horum in ordine fuit confratrum, a Willegiso Archi Episcopo Moguntino consecratus fuit. IDEM p. 397. Vnguanus Archiantistes Brementis a Gerone Archi Praefule Magdeburgico cum consensu, et auxilio, Episcoporum suorum unctus fuit.*
- 4) vid. locum DITMARI not. 2.

## §. XLIV.



§. XLIV.

Metropolitani fidei professionem mittebant ad Romanum Pontificem, atque ab ipso vicissim PALLIUM accipiebant. 1) Singulare est, quod de Brunone, Archiepiscopo Colonienſi, narrat ſcriptor vitæ eius: 2) *Quum ſecundum dignitatem ſedis ſuæ, Romanæ quoque ſedis et Apoſtolice benedictionis privilegio deberet inſigniri, et cum eis pariter, qui traditam a beato Petro Apoſtolo ſanam ſerant doctrinam, Catholice fidei integritate in vera confeſſione et inuiolabili veritate prædicationis vñiri: Synodicam ſuam epiſtolam per Hadamarum Romam ad Agapitum Papam direxit, in qua, cuius ſpiritus eſſet, innovit. Legatus inde reuerſus pio paſtori attulit PALLIUM laudis, et privilegium Apoſtolice ſublimitatis auctoritate traditum, quo et eodem Pallio præter conſuetudinem, ſacerdos Domini, quoties vellet, vii permiſſus.* Namque alias Archiepiſcopi, et qui Pallio gaudent Epicoſci, eo vti non poſſunt, niſi deſignatis diebus, et in Eccleſia tantum, cum ſacris operantur, eamque antiquam eſſe conſuetudinem ipſe hic ROTGERI locus indicat. Habemus etiam literas quibus Pilgrinus, Præſul Paſſauienſis, cum pro ſede ſua honorem metropoleos Laureacenſis impetraret, Pallium petiit, fideique confeſſionem edit. Pallium vero hoc ævo in ſignum vñionis ac Catholice fidei peti, et dari ſolebat. Recentior eſt doctrina, Pallio contineri plenitudinem Pontificalis officii, cum Archiepiſcopalis nominis adpellatione: neque Archiepiſcopum munere ſuo fungi poſſe, antequam illud acceperit, quam Innocentius III. magno Romanæ Curie commodo, inuexit. 3) Ceterum iam tum magno ſumtu opus fuiſſe Romæ ad impetrandum pallium, colligas ex literis CANVTI MAGNI, Regis Daniæ, et Angliæ, paulo poſt hæc tempora datis ad Epicoſcos Regni ſui. 4) *Conqueſtus ſum coram Domino Papa, et mihi valde diſplicere dixi, quod mei Archiepiſcopi in tantum angariabantur immenſitate pecuniarum, quæ ab eis experebantur, dum pro pallio accipiendo, ſecundum morem,*



*morem, Apostolicam sedem expeterent: decretumque est, ne id deinceps fiat.* 5)

- 1) In Concilio Constantinopolitano IV. A. 869. habito, quod inter Oecumenica octauum numeratur, decretum, *ut Metropolitanus a Patriarchis vel per manuum impositionem, vel per concessionem pallii consecrarentur.* Quatenus illud iam tum receptum in Ecclesia Germanica, hic excutere non vacat.
- 2) RVOTGERVS in *Vita Brunonis* §. XXIII. p. 281.
- 3) vid. HVNDIVS in *Metrop. Salisb.* Tom. I. p. 200. Literas Piligrini, et confessionis suae formulam protulit C. GEWOLDVS in *Additionibus* p. 237. seqq.
- 4) Cap. 3. X. *de auctorit. et usu Pallii.*
- 5) Literas CANVTI M. ex WILH. MALMESBVRIENSI de *Gestis Regum Anglorum* Lib. II. cap. II. exhibet C. BARONIUS in *Annal. Eccles.* T. XI. ad A. 1027.

## §. XLV.

*De Hierar-  
chia etc.*

Vigebat hoc aevo auctoritas Metropolitanorum, quibus inigne dignitatis Pallium, vti modo obseruatum. Vtrum iam tum omnibus hic quoque honos habitus, vt crux ante eos ferretur non dixerim. Is Archiepiscopo certe Treuirensi in bulla Papae inter insignia Primatus imputatur. Durabat vetus Ecclesiae disciplina, vt Metropolitanus consecraret Episcopos provinciae suae, et Synodos conuocaret, in quibus etiam causae Episcoporum discuterentur. Interdum et in Constitutione Episcoporum, si quid dubii oriretur, eius auctoritas interpellata. 1) Etiam vbi quis Episcopi sui sententia stare noller, prouocatio erat ad Metropolitanum, qui causam in Synodo retractaret. 2) Poppo quidem, Archiepiscopus Treuirensis, imperante Henrico II. impensus obsequium a suffraganeis postulabat. Sed acriter illi resistebant. 3) In hoc metropolitanorum ordine nonnulli Primatis dignitate et titulo insignes. Moguntinus, Treuirensis, et Coloniensis ab antiquo. Magdeburgico Fundator eius Ecclesiae Otto M. a Papa Iohanne XIII. eundem honorem impetrauit. Ceterum Episcopo in Dioecesi Abates,



bates, et reliquis Clerus omnis suberat. Rara exemptio-  
num vestigia, et praecipuum, quod in Bambergenſi Eccle-  
ſia obſeruatur.

1) DITMARVS Lib. IV. p. 355. auctor eſt, quum Anſfridus Episcopatum Leodii renuiſſet, *Euergerum, Colonienſem Archiepiſcopum, Suffraganeorum conſenſu Imperatori, ſibiſque in medium conſuluiſſe, cum-  
que vellet nollet ad Episcopatum adclamaſſe.*

2) Can. VI. Conc. Francof.

3) WIBERTVS in *Vita Leonis IX. Pontificis. Lib. I. cap. 12. in Actis SS. die 19. Aprilis. Poppo ArchiEpiscopuſ Treuirenſis voluit, vt quique ſuorum ſuffraganeorum ab eo ordinandus, prius ſub diuinæ praesentiae teſtimonio ſpondere deberet, quatenus in cunctis rebus agendis eum ſibi ad conſilium adhibeat, ſublatoque omni excepto, nihil extra ſuum praesceptum aut velle, quaſi quidam ſeruus agere praesumat; -- Sed ſuffraganei omnimodis abnegauerunt huius incongruae rationis ſe fore ſponſores.*

§. XLVI.

Ita diſpoſita Hierarchia, Praeſules communem Eccleſiae ſtatum in Conciliis ordinabant: quae frequentia hoc tempore fuerunt. Nationale Concilium a Rege, aut certe ipſo volente, conuocabatur. Ita praefatio Concilii Erfurdenſis, A. DCCCCXXXII. ſub Henrico I. habiti: *Congregata eſt apud Erpeſfurd ſancta et vniuerſalis Synodus, vt Rex ſapientiſſimus cum Concilio Primatum ſuorum decreuit, - pro vtilitate et ſtatu Eccleſiarum.* 1) Et quum Agapetus Papa generale Concilium Episcoporum vtriuſque Franciaſe haberi vellet, ad terminandam litem, quae inter Hugonem atque Artaldum intercedebat de Eccleſia Remenſi, miſit Marinum Episcopum, Vicarium ſuum, ad Ottonem I. Regem, vt ipſius voluntate Episcopuſ Regni eius ad Synodum irent; qua de re FRODOARDVS: *Vicarium ſuum, Marinum Episcopum, miſit ad Ottonem, propter euocandam et congregandam generalem Synodum, literaeque ipſius Papae mittebantur, - ſpectatim quibusdam Episcopis Galliae Germaniaſeque, vocantes eos ad Synodum.* 2) Prouincialia Metropolitanus, ſed non ſine Regis voluntate cogebat. Ita quum Aribo Archiepiſcopus Moguntinus, ex ſententia Henrici II. Concilium prouinciale Moguntiam conuocaſſet, Godehardus, Episcopus.

De Conciliis  
Eccleſiae Ger-  
manicae.



Hildesensis et Imperiali et Pontificali (id est Metropolitani) *vocatione eo profectus dicitur.* 3) Imperatores ac Reges Saxonici, aequae ac olim Carolingici, 4) praesederunt in Concilio. Singulare est, quod Otto M. Romae in Concilio, A. DCCCCLXIII. in Basilica S. Petri habito, in quo Pontificatus abrogatus est Iohanni XII, praesedit. 5) Sed in Conciliis Germaniae id solenne fuit. 6) Raro hoc seculo *Vicarii Pontificis* adfuerunt in Conciliis Germaniae. Rodbertus, Archiepiscopus Treuirensis, in Concilio ad Castrum Mosoni habito, vices legationis Apostolicae sustinuit. 7) Fridericus, Cardinalis Presbyter, Concilio in Palithi an. 999. celebrato, vice Pontificis interfuit, omniumque oculos nouitate apparatus, et pompae in se conuertit. 8) Confessum ipsum Regis, et Episcoporum in Concilio nationali omnium optime illustrat descriptio Synodi nationalis, statim post haec tempora Francofurti ad Moenum, A. MXXV. habitae. 9) Illud denique reperimus hoc aeuo, omnino et secularium suffragia nonnunquam in Synodis audita. Ita FRODOARDVS scribit, in Concilio Treuirensi, *omnes qui aderant, tam Clericos quam Laicos*, Hugonem excommunicandum clamasse. 10) Non moramur, quae recentiores de Iure Conciliorum scriptores, praesertim CARD. DOMINICVS IACOBATIVS, 11) contra Imperatorum et Principum circa Conciliorum autoritatem protulere. Interest veteris moris vestigia notasse, vt nouitas melius appareat. Neque vnquam defuerunt, qui Caesaris, atque statuum ius circa Concilium vrgerent. 12)

1) AP. NIC. SCHATENIUM Tom. I. *Annal. Paderborn.* p. 268.

2) FRODOARDVS ad A. 948. p. 169.

3) WOLFHERVS in *Vita Godehardi* p. 491.

4) Imperatorum et Regum Carolingicorum, autoritatem circa Concilia fufius explicat HERTIVS in *Not. Reg. Franc. Ver.* cap. V. §. 9. seq.

5) LVITPRANDVS Lib. VI. cap. 6. *ANNAL. HILDES.* ad A. 963.

6) AVCTOR VITAE MEINWERCI §. LVI. p. 547. *Bernwardus, Hildesheimensis Episcopus, Synodum in Goslaria habuit, praesidente Imperatore.* WOLFH. l. c. p. 493. *Ardo Archiepiscopus Moguntinus Francoauidi concilium Synodi coadunauit, praesidente Imperatore.*

7) FRODOARDVS l. c. *Rodbertus Archiepiscopus Treuirensis mandatum lega-*



- legationis Apostolicae coram Regibus et Episcopis tam Galliae, quam Germaniae suscepit.
- 8) TANGMARVS in Vita Bernwardi cap. 27. p. 454. *Affuit ab Apostolico et Imperatore vice Papae directus, Cardinalis Presbyter Fridericus, omnibus insigniis Apostolicis, ac si Papa procedat, insulatus, equis, Apostolica Sella, Romano more, nostro instratus.*
- 9) WOLFERRVS in Vita Godehardi p. 493. *Aribo Moguntinus Francoconordi Concilium Synodi coadunavit, praesidente Imperatore cum Episcopis XXIII. Pulchra erat ibi, et rationabiliter ordinata, tam Regalis, quam et Episcopalis confessio. Nam in orientali parte ante Altare Archiepiscopus Aribo cum suis Suffraganeis, Wernero Argentinese, Brunone Augustense, Meginwercio Patheybronnense, Euerhardo Bauenbergense, Meginbardeo Wircebursense, Godehardo Hildenesheimense, Brantio Halversladense, Wiggero Verdense, Hazecone Wormaticense, confedit. In Occidentali vero parte Imperator confedit; et a dextris eius Pilgrinus Coloniae Archiepiscopus cum sibi subditis, Sigeberto Mindense, Sigifrido Mimigardense, Bennone Traiectense. A Sinistris Hunfridus Parthenopolitanus Archiepiscopus cum suis, Hildiwardo Citizense, Brunone Mersburgense, Luczone Hauelsbergense, Thiedericio Misnense. In Australi autem plaga Episcopi, Rambrechtus Wiradunensis, Rudolphus Slesuicensis, Hilrolpus Mantuanus, Reginoldus Aldenburgenfis assiderunt. In Aquilonari etiam Abbates Richardus Fuldenfis, Reginoldus Loresheimensis, Arnolpbus Herueldenfis, Gerbertus Moguntinus, cum aliis etiam eiusdem ordinis sex adsuerunt.*
- 10) FRODOARD. ad a. 949. *Idque iterum pro antiquo more. In praefatione Synodi Moguntinae A. DCCCXIII. habitae legitur: In eadem Synodo de communi Collegio Clericorum et Laicorum tres factas turmas; in prima confedissee Episcopos, in secunda Abbates, et probatores Monachos; in tertia Comites et Indices, in mundanis legibus decerantes, vulgi iustitias perquirentes etc.*
- 11) In Op. de Concilio Lib. 2. et 3. passim.
- 12) Conf. BECMANNI Diss. de Iure Conciliorum §. X.

§. XLVII.

In hisce Conciliis discutiebantur lites quae ad statum Ecclesiae vel nationalis, vel prouincialis pertinerent: idque itidem ex antiquo Ecclesiae more. Interdum quidem praesente Imperatore, in Italia, in confessu Episcoporum vtriusque gentis, causae ad Ecclesiam Germanicam spectantes ventilatae sunt. Ita Heroldus, Archiepiscopus Salisburgensis, in Synodo Rauennae habita, exauctoratus est. 1) Plerumque tamen illarum discussio ad Synodum nationalem remissa: uti A. 999. cum Episcopus

*In iis causae Ecclesiasticae decisae.*



pus Hildesheimensis Bernwardus, Romae apud Imperatorem et Pontificem, de turbato ab Archiepiscopo Moguntino iure Dioecelano questus esset. 2) Sic et de disciplina, ritibusque statuebant Episcopi. Ita in Synodo Aquisgranensi decretum, *vt quatuor hebdomades ante Natalem domini, et a septuagesima ante Pascha, et XIV. diebus ante festum S. Iohannis Baptistae, nullus secularia placita agere aut coniugium contrahere praesumat.* \*) Decreta Synodorum Regia autoritate firmabantur. 3) Sed de iure quod tum tenere Ecclesiae Germanicae, optime iudicatur ex Collectionibus RHEGINONIS, Abbatis Prumiensis, et BURCHARDI, Episcopi Vormatiensis. 4) Totaque illa disciplina noua luce collustrabitur, quum CL. SCHANNATVS diu optata Germaniae concilia dabit.

1) HVND. in *Metrop. Salisb.* T. I. p. 5. Decretum ipsum exhibet GEWOLDVS in *Additionibus* ad hunc locum.

2) TANCMARVS in *Vita Bernwardi* Cap. 26. 27. *Placuit Synodam Episcopis per Saxoniam iudici, et Vicarium ex parte Domini Apostolici designari, qui Synodo praesideat.*

\*) Vid. HERM. CONTRACTVS ad. a. 992. p. 317.

3) Id inter alia apparet ex actis Concilii Tremonienensis sub Henrico II. habiti, ap. DITMARVM Lib. VI. p. 380.

4) De consilio hoc Burchardi MONACHVS KIRSCHGARTENSIS, cap. XIII. *Chronici Vormatiensis*, p. 55. *Waltbero, Spirensi Episcopo adiuuante, et Brunichone Praeposito exhortante et suggerente, canones in unum corpus collegit Burchardus, non pro vlla arrogantia, sed, vt saepe dixit, quia Canonum iura, poenitentiumque iudicia, in Episcopatu suo omnino fuerunt neglecta et destructa.* Add. ANT. PAGIVS, Tom. IV. ad a. 1008. n. VI.

. §. XLVIII.

Romanae  
se-  
dis auctoritas.

Ceterum haec renouata Germaniae et Italiae coniunctio, nouumque Imperii systema, etiam Romano Pontifici profuit, ad auctoritatem in Ecclesiis Germanicis magis magisque stabiliendam, et amplificandam. Iam dudum vendicauerant sibi ius appellationum. 1) Ita et nunc Legatos quandoque miserunt in Germaniam, qui definiendis controuersis suam interponerent auctoritatem. Porro Episcopi Germaniae iam A. DCCCXLV. in Concilio



cilio Triburienſi Romanam Eccleſiam omnis dignitatis matrem, et *Eccleſiaſticae rationis magiſtram* agnouerant. 2) Pallium mittebant Metropolitanis: Alios etiam dignitatum, vti Primatum, et Vicariorum titulis ſibi deuinciebant. Modo nouis honoribus, nouoque adparatu condecorabant Episcopos, atque Abbates. Huc facit bulla Benedicti VII. Archiepiſcopo Treuirenſi conceſſa. 3) Abbas etiam Fuldenſis titulum Primatis per Galliam et Germaniam hoc aeuo conſequutus eſt, 4) quo adhuc gaudent ſucceſſores eius, ArchiCancellarii Auguſtae.

- 1) Id plerique ex Canone V. Concilii Sardiceniſis deriuant: vti ipſe olim HINC MARVS. Sed de vero ſenſu eius canonis variae diſputationes.  
 2) Conc. Tribur. ap. BARON. Tom. X. *Annal.* ad a. 995. p. 639.  
 3) v. BROWERVS, Tom. I. *Annal. Treſuir.* Lib. IX. n. XIX. p. 476.  
 4) Vid. CL. SCHANNAT in *Hiſt. Fuld.* p. 128.

§. XLIX.

Cauiſſe tamen Eccleſiam Germanicam, ne antiqua *Libertatum Eccl.ſiae Germanicae Cura.* libertas magis, magisque imminueretur, ſatis oſtendunt conſilia, et facta Praeſulum huius aeui. Willigiſus, Archiepiſcopus Moguntinus, Legatum, Cardinalem Presbyterum, quem Sylueſter II. Papa, ad dirimendam litem inter ipſum, et Bernvardum, Hildesheimenſem Episcopum, abortam miſerat, ſatis ſupercilioſe excepiſit. 1) Ideoque tam ſtudioſe ſemper procuratum, vt in Gerania finirentur lites, etiam in quibus Pontifex cognitionem haberet. Et in Concilio Seligenſtadenſi A. MXXI. ſancitum, *ne quis ſine conſenſu Episcoporum ſui, aut Vicariorum Romam iret.* 2) Ne ſcilicet diſciplina poenitentiae domi euerteretur, ſi Romae (quod valde ſuſpicabantur) 3) pretio comparari poſſet indulgentia. Quin ipſis Archiepiſcopis, non videtur fas fuiſſe Romam ire, niſi impetrato a Rege comiteatu. 4) Mutata admodum tempora: nunquam tamen omiſſa conſeruandae Libertatis cura, eaque Auguſtiſſimo Imperatori in Capitulatione commendatur. 5)

- 1) Rem prolixe narrat TANGMARVS in *vita Bernwardi*: c. 27. *Legatum vero vario affectu excipiunt; Archiepiſcopus autem, et qui ei ſauabant, mira indignatione et execratione illum ſpernebant. - - Poſtquam ad*

K

Con-



- Concilium ventum est, vix dici poterit, quanta seditione et tumultu agitur. Nam nec locus sessionis Vicario Apostolici idoneus conceditur, horribilis strepitus ingeminatur, ius fasque contemnitur, canonica disciplina annullatur, Vicarius inter Episcopos Lieuezonem et beatam Bernardam sedens, Apostolici scripta et legationem ad Episcopos se habere, facultatem exequendi quae ferat, sibi exhiberi orabat.
- 2) Canon XV. Conc. Seligenstad. in VITA MEINWERCII, Decernit S. Synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui Episcopi, vel eius vicarii. et Can. XVII. Quia multi tanta falluntur mentis suae stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, poenitentiam a suis sacerdotibus accipere nolint; Sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non proficit; sed prius iuxta modum delicti poenam sibi datam a suis sacerdotibus adimpleant, et tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, et literas ad Apostolicum ex hisdem rebus deferendas, accipiant. Hae videntur esse literae dimissoriae, quae antiquitus inter varias Epistolarum Ecclesiasticarum species commemorantur.
- 3) Ita DITMARVS Lib. III. p. 345. Romanos Indices carpit, quod iis cuncta sint semper venalia.
- 4) WOLFH. in Vita Godeb. C. 4. p. 499. Aribo, Episcopus Moguntinus, quam Imperator Conradus II. natalem Christi a. MXXX. Pathebrunnacae ageret, in sancto die, inter missarum solennia, publico sermone habito, licentiam ab Imperatore, et Confratribus Romam pergendi rogauit.
- 5) Capitulat. Carolina Art. XIV.





NOBILISSIMO ORNATISSIMOQUE  
OLENSCHLAGERO  
PRAESES.

**I**ure Consultos aliquot Romanos, et in-  
primis Q. Antistium Labeonem legi-  
mus diligenter Leges Decemvira-  
les, et omne Ius vetus inuestigasse, eaque  
scientia in respondendo de iure, et iudicando  
feliciter usos. Eandem industriam in Ger-  
manico Iure, cuius instituta tam late diffun-  
duntur, praestitere clarissimi nostro, et prae-  
terito aevo Viri, parum metuentes, ne quis  
obiiceret illud Poetae:

Haec fuerant sub Rege Numa, sub Con-  
sule Bruto,

Nunc alia est aetas.

Siquidem ideo attingimus antiqua, ut prae-  
sentia melius intelligantur. Magnos itaque  
auctores habes, qui Academicum stadium,  
summa



*summa solertiae et morum laude emensus, pe-  
riculum ingenii facere voluisti in argumento,  
quod quantumuis remotum videatur a nostris  
temporibus, continet tamen certissima iuris,  
quo publice priuatimque utimur, principia.  
Illud vero adeo amplum est, ut in multis certe  
gratiam inieris apud aequos arbitros, etiamsi  
forte nonnulla eius capita, propter summam  
festinationem, non satis excolere licuit.  
Gratulor Tibi hunc animum, hos in studiis pro-  
fectus, atque ex Academico specimine augu-  
ror qualia futura sint, cum ad lucem ciuilibus  
vitae ea protuleris. Inuenies in peregrina-  
tione, inuenies in Patria praestantissima  
Exempla quae imiteris. Id ut feliciter fa-  
cias ex animo precor. Vale. Dabam XIV.  
Kal. Decembr. A. MDCCXXXII.*

















Ka 3458.


ULB Halle

003 002 292


3











B.I.G.

Farbkarte #13

ORIGINES  
IVRIS PVBLICI  
IMPERII ROMANO-  
GERMANICI

ILLVSTRATAE EX REBVS  
IMPERATORVM SAXONICORVM

QVAS CONSENSV  
MAGNIFICI IVRECONSVLTORVM ORDINIS

P R A E S I D E

D. IO. IACOBO MASCOVIO

CONSIL. REG. AVLICO, SVPR. CVRIAE PROVINCIALIS  
ET CONSISTORII ASSESSORE, ET CIVITATIS  
LIPSIENSIS SENATORE ETC.

AN. MDCCXXXII. D. XX. NOVEMBR.

H. L. Q. C.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVBIICIT

A V C T O R

IO. DANIEL OLENSCHLAGER

FRANCOVRTANVS AD MOENVM.

EDITIO SECVNDA.

10.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

I 7 5 3.

